



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Passio secu[n]dum Johanne[m]. 18. Egressus e[st] Jesus trans torr.  
Homili[æ] sex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35308**



quæ comprehenderunt uirū unum : aliās adducto in hoc themate illo, Deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? & aliās multis modis, q̄s hic singulos percensere molestū fuerit, atq; ex superioribus duabus passionibus cuique promptum est idem tentare. Nunc tantum passionē secundum euāgelium Iohannis breuiter uisum est explicare, ut quilibet amplissimam habeat ex scripturis sacris super hac re dicendi materiam, possitq; huiusmodi quædam sub cōuenienti textu uel præfatione inducere.

IN NOMINE TVO DVL CIS IESV.

**PRAEFATIO IN**

EVANGELIVM IOHANNIS

*de passione Christi.*



O VOS OMNES  
QVI TRANSITIS  
PER VIAM, AT-  
TENDITE ET VI-  
DETE, SI EST DO-  
LOR SIMILIS SI-  
CVT DOLOR ME-  
VS.

*Thren. 2.*

¶ Verba sunt ex planctu Ie-  
remiæ desumpta.



Rige in medullis cordis tui, o homo, qui uere Christiano titulo gaudes, crucem signaculum illud passionis Christi, imò ipsum etiam crucifixum Christum erige. qui sanguinē sanctū suū hodierno die hubertim uoluit profundi in sudore, inter flagra, sub capitis durissima corona & aliās sæpius. Roga dominum, ut

ff ij



Eccles. 3

Luce. 22  
Bernar.Lingua  
Christi.

ille uel guttulam saltem sanguinis sui stillare sinat ad emolliendum cor tuum, ne semper frigidum illud & durum permaneat: quia cor durum, male habebit in die iudicii. Id adeo ille ipse ex te uel durissimo petit, qui dolores tantos sustinuit, quantos non sustulit homo qui unquam spirauit super terram. Eo respiciēs etiam in eucharistia institutione, Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. Memento igitur o homo passionis illius, recordare subinde peccatorum tuorum, quæ nisi essent ad mortem, non pro eis filius dei moreretur. Aspice infelicissime peccator pendentē in cruce Christum, deum, conditorem, saluatorem & redemptorem tuum. Vide caput quod adorant angeli, præacutis spinis urgeri. uide oculos sole nitidiores iam caligantes, os aspice quod docet angelos, aceto & felle potari. Considera faciem, in quam sancti & electi dei omnes desiderant prospicere. ea iam sputis maculatur fœdissimis, a lapis turpissime cæditur. Manus sanctissimæ, quibus celum & terra totusq; adeo mundus fundatus est, clauis adfixæ, miserabiliter extenduntur, pedes qui mare calcauerant, duriter transfodiuntur. Neq; omnia hæc quantumuis maxima, sufficiunt. cor ipsum quoq; in quo thesauri sapientiæ & scientiæ dei latebant reconditi, in quo ardēs illa in genus humanū delitescerat charitas, lancea percussum aperit. Quid multa? Totū eni hinc mihi Christum aspice, qui pro te mortuus est, quam nihil omnino in toto illo liberum præter linguam? quæ etiam hic eloquutus est immensa dei mysteria, qua pro persecutoribus suis rogauit deum, ostendens quoq; desisse iam uetus testamentum, latroni paradysum promissit. eadem etiam dolentissimam matrem dilectissimo suo commendauit discipulo. Eadem quoq; quam solam ex omnibus totius corporis sui membris liberam habuit, lingua sitim salutis generis humani expressit. eadem deniq; spiritum sanctum suum in manus patris commendauit. Sicq; adhuc nos alloquitur, uolens nos ad contemplandam passionis suæ acerbiter adducere: O uos, inquit, omnes, qui transitis per uiam. Hinc illa pia & laudabilis consuetudo, ut in triuijs passim & omnibus compitis, ante portas quoq; ciuitatum crux Christi erigatur, omnesq; prætereuntes admoneat.



& uelut rapiat ad amorem Christi & meditantam passionem eiusdem. Quilibet ergo crucifixi uidens imaginem, sic cogitet tanquam ex cruce loquentem illum audire uideatur & dicentem: O uos omnes qui transitis per uiam, attendite & uidete si est dolor similis sicut est dolor meus. Pater noster.

## DE CAPTIVITATE

CHRISTI, ET QVAE CIR-

ca eandem contigerunt, ex capite

Iohannis XVIII.

### TEXTVS I.



In illo tempore: Egressus est Iesus cū discipulis suis trans torrentē Cedrō, ubi erat hortus, in quē introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eū, locum istum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem & à pontificibus & pharisæis ministros, uenit illuc cum lanternis & facibus & armis. Iesus itaq; sciēs omnia quæ uentura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Respōderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eū, cū ipsis. Ut ergo dixit eis, Ego sum, abierūt retrorsum & ceciderunt in terrā. Iterum ergo interrogauit eos: Quē quæritis? Illi autem dixerūt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis quia ego sum. si ex

Matth. 26  
Marci. 14  
Lucę. 22.

Matth. 26  
Marci. 14  
Lucę. 22



go me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quæquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in uaginam. Calicem quæ dedit mihi pater, non uis ut bibam illud?

Matth. 26  
Marci. 14  
Lucæ. 22

**D**Eum immortalem, quam sublimi uolatu aquila hæc prouolat: quam commodum dedit sanctissimus euangelista narrando Christi supplicio principium, Egressus, inquit, est Iesus: quasi dicat, imminente iam illo temporis articulo, quo patri Christus uolebat, ultro exiuit, ut ab hostibus capi posset: quorū manus antea sæpius effugerat, cum nondum aderat tempus passionis. iam tandē appropinquante hora, ipse egressus est. siquidem nūc uenerat hora, ut transiret ex hoc mūdo ad patrem.

Johan. 7

Joh. 13

¶ Egressus igitur est trans torrentem Cedron. Per torrentem autem passio Christi designatur. unde ille torrentis transitus, supplicij imminetibus dare uidebatur inritum. Nam qui prope montes habitant, penè quotidie experiuntur, feruente sole & increbrescente pluvia, niues resolui & turbidas aquas exundare undiq;. Ita hic Christus feruore diuinæ charitatis, æternæq; & perpetuæ adeo ueritatis lumine accensus, flumina sustinuit passionis, sed ultro & uolens quidem, non inuitus. Egressus itaque trans torrentem supplicij, peruenit ad felicitatem æternam. Quod & David in spiritu designare uolens, dixit: De torrente in uia bibit, bibit enim calicem passionis quæ suscepit. Hoc ipso autem caput suum exaltauit, dum semet humiliavit, patri suo factus obediens usq; ad mortem: ideoq; etiā exaltauit eum deus, & dedit ei nomen super omne nomē.

Psal. 109

Philip. 2

¶ Egressus, inquam, est Iesus trans torrentem Cedron, hoc est, caliginis siue tenebrarum: quoniam ibi arbuta & spineta erant undiq;, atq; ideo caligo, quæ non male congruit supplicio Christi. Nam & illud quod captus est Christus in primordio passionis suæ, primoq; adeo gustu eiusdem



tenebras istas atq; caliginem inscitiae & ignorantiae designat. qd intelligens Christus, capientibus se dixit: Quo- *Luce. 22*  
tidie apud uos eram docens in templo, & non me tenu-  
stis, sed haec hora uestra est & potestas tenebrae. Verunta-  
men in cruce quoq; pendens, ignorantiae huius tenebras  
declarauit, dum pro crucifixoribus suis oraret: Pater, di- *Luce. 23*  
mitte eis, quia nesciunt quid faciunt.

¶ Quid autem sibi hoc uult obsecro, qd discipulos quo-  
que suos secum ad sumptos duxit trans torrentem illum?  
illud nimirum, quoniam & ipse ex eodem bibituri erant  
flumine passionis, sicut filios Zebedaei interrogauit, bibe- *Matth. 20*  
re ne possent ipsi quoq; calicem quem ipse bibiturus erat,  
neq; inficias tunc ibant illi. Idē eis post coenam etiam pra-  
dixit, inquit: Non est discipulus super magistrum, si me  
persecuti sunt, & uos persequentur. In huius rei figuram  
iam olim Dauid tras torrentem profectus esse legitur, cum *2. Reg. 15*  
propriū filij sui Absolonis persecutionē sustineret, coactus  
hac persecutione cum suis ex torrente bibere iam senex  
& uetulus. Quamobrem Dauid Christū, Absalon autē Iu-  
dam significat. Quamuis & id ipsum moralj non caret sen-  
su, qd discipulos sibi suos Christus adiunxit comites, ut  
eosdem haberet testes certissimos, quia uoluntarie se in  
mortem obtulerit, quia ijs obuiam ierit, quia uerbo in ter-  
ram eos deiecerit, dum praesidium Petri recusaret. Potest  
inde quoq; huiusmodi doctrina colligi, ut hoc exemplo  
Christi discant parentes liberos suos, praeptores disci-  
pulos secum in templum adducere, ad sermones ceteraq;  
diuina officia. Ecce enim aquila pullos suos assuefacit re- *Similia.*  
cto aspectu intueri solem, quam quisquis non aspicit re-  
ctus, minimeq; auerso uultu, eum pro suo non agnoscit.  
Leo quoq; in praedam & rapinam leunculos suos adducit,  
quorum quicumq; fortem & expeditum se nō praebet, uel  
ungulis cōpressum necat. Sic itaq; & Christus suos secum  
adsumpsit discipulos, a quibus, quia diuersa sortis erat, *Johan. 6*  
Iudas aberat, neq; id Christum latebat. siquidem faciebat  
iuxta illud Moysis, sicut aquila prouocans ad uolandum *Deut. 32*  
pullos suos & super eos uolitans, expandit alas suas, ita  
Christus orare simul & supplicia subire uolens, ut in utro-  
que imitatores sui haberet apostolos, eosdē secū eduxit.



Theoph.

Gene. 3

Aug. super Johā.  
Cyrillus.Theoph.  
Aurea sententia.

Johan. 6.

¶ Et uide quā proprie hic euangelista describit fuisse hortum ibidem: quia hortus, à quo salus nostra originem sumpsit, paradysum referebat: ut sic qui olim cecideramus in horto paradysi, nunc rursus uideremus in horto salutarem passionem sumpsisse initium: ut unde perditio nostra orta fuerat, inde sal<sup>o</sup> exordiū susciperet. In hoc horto lignum uitæ Christus erat, Iudas serpens. Et quod Iudas cum cohorte quam adducebat, cecidit retrorsum, lapsum significat & ruinam serpentis, hoc est, diaboli cū socijs suis. Nimum uero hic diu immoramur. quamuis enim aquila hæc cælorum arcana superans, uerbum nullum frustra posuit, singula tamen ponderare exactius, & longum nimis & forte futurum erat molestius. Itaq; cū sancto Augustino ijs que manifesta sunt, ne immoremur, ubi hoc opus est, causa poscente, faciamus.

II. ¶ Neq; uero egressus dominus hortum intrauit, quasi passionem fugiturus: sed ut ibidem à Iuda facilius inueniri posset, qui & hortum nouerat, & eo frequenter dominum uenire solitum ad orationem non ignorabat. Vbi primum retruduntur neochristiani, qui nullum locum præ altero eligentes, omnes iuxta orationi aptos dicunt esse & idoneos. Contrā fecit Christus, præ alijs locis montem hūc oliueti, ueluti peculiariter suæ dicans orationi. Deinde hinc tu quoq; disce, in magnis festiuitatibus aliquanto plus, magisq; pie orare, quia idem hic fecit Christus. Disce præterea (contra schismaticos) mane surgere, matutinis interesse, peruigilare, pia esse & Christianis digna officia. & Christus plerunq; noctu in hortū hūc uenit oratum. id ipsum non ignorās Iudas, sui similes sibi adiūxit, eiusdem impietatis socios seruos Romanorū, quos & ipsos Iudæi corruerant, pecunijsq; impetrarāt, ut se iuuarent. Militaris enim ordo, auri mancipium est.

¶ Solerter etiam illud ideo præcauerant, ne quis se in capiēdo impediret, absteritus Romani præsidij presentia: & ne quicquam deesset, pontificum quoq; & pharisæorum seruos in comitatum adsumpserant, ut ne quis se ob legem Mosaicam conatibus eorum opponeret.

¶ Videns aduenisse iam tempus suum dñs, obuiā prexit aduenientibus, qui antea properātes ipsum creare regem



procul fugerat. Nunc ultro se eis p̄bens, quē quærāt etiam interrogat. illiq; respondent, Iesum Nazarenum. non inquit, Te ipsum uolumus, te quæsitum aduenimus. q̄a nec uoce illū nōrāt, nec specie. Vides igit, ait Chrysoſtomus, uim **Chryſost.** inſuperabilem, quō in medio exiſtens eos cæcauit. Quōd em̄ nō tenebris id noctis cōringeret, ostēdit euāgelista, cū dicit eos faces habuisse, quas nisi habuissent, saltē uoce cognit⁹ eēt. Quōd si illi Iesum ignorabāt, nō tñ Iudas ob cōtinuā cū eo cōsuetudinē. Interrogat autē quē quærāt, nō q̄ ignoraret, sed ut eos argueret, qui nec cognoscere quidē poterāt ipsum: sicq; nos doceret nō potuisse se capi, nisi ultro sequærentibus obtulisset.

¶ Respondit ergo dominus, Ego sum. Et subito regredientes, ceciderunt retrorsum. Quanta erit obsecro tū maieſtas, tum potētia Christi uenientis ad iudiciū, qui **Augustin.** tā potēs extitit in proſternēdis hostib⁹ cū iudicari uellet.

2. ¶ Et qm̄ hic mortales p̄strati corruerūt ad uocē Christi, ita ad eandē in die nouissimo etiam mortui resurgent. **Johan. 5**

3. ¶ Nō temere quoq; ceciderūt retrorsum, quoniā idipsum Dauid quoq; in persona Christi prædixerat, **psalm. 39.**

Conuertant & erubescant simul qui uolūt mihi mala. Conuertant retrorsum & erubescāt ualde uelociter. sicut Eli de sella legit decidisse. simile qddā habet & Isaias, dicēs: Vadāt & cadant retrorsum. Boni uero antrorsum p̄cidunt in faciem suam, sicut hic Christus in monte Oliueti, sicut Abigail corā Dauid, & Petrus procidit ante dominum. **1. Reg. 4. Isaię. 28. 1. Reg. 19. Lucę. 5**

4. In hodiernum quoq; diem retrorsum abeunt Iudæi, quantumcunq; clamet dominus, Ego sum, ego sum quem quæritis Messias. tamen instar cancrorum retrocedunt ad Antichristum, nolētes nec agnoscere, neq; recipere Christum. neq; sic retrorsum ambulant tantum, sed & in barathrum præcipites cadūt damnationis æternæ.

5. Præterea signum quoq; futuræ gentis Iudaicæ casus, hic ministrorum casus est: neque in hunc usq; diem semel **Cyillus.** collapsa resurrexit synagoga Iudæorum, quemadmodum fore prædixit Ieremias. Cecidit Israel, & nemo ē q̄ excitet. **Jeremi.** Ita cadunt, & hætenus quoq; ceciderunt omnes aduersarij uerbi dei, hæretici omnes.

¶ Porro Christus quum iam semet obtulisset in mortē, **Cyillus.**



suos tamē tutatus est discipulos: Sinite, inquiēs, hos abire. Qui tam paucorum in tali tempore curā habuit, quomō innumerabiles fideles non proteget? Omnipotens fuit illud uerbum Christi: unde & Iudæorum compescuit furorē, aliās quomō Petrus solus in gladio percutiens, eua- dere tantam potuisset multitudinem? Verum uirtus diuina uerbi illius ipsum protegebat. O quoties ab infinitis periculis nos deus custodit & ignaros, & tale nihil præca- uentes. Sicut ergo uerbū illud dei Iudæos prostrauit, ita pari uirtute discipulos ab eorum uesania potuit eripere.

¶ Disce hic peccatorem, nisi conuerti nolentem, non perire: quia apostoli iam iam fugituri & per fugam pecca- turi erāt, tñ de ipsis dicit Christus, nō amisisse se quēquā. siquidem dum sperabatur, imō apud Christum certa erat illorum conuersio, nullus eorum perierat.

3. ¶ Quum uero audis, quia Petrus Malcho auriculā absciderit, mirari forsitan posses, unde hic Petro gladius contigerit, quādo discipulis suis iā ante præceperit Chri- stus, nec peram gestare nec uirgam, tantum abest ut gla- dium illis permiserit. Verum quidem est id, ita eis præce- pisse dominum, quando eos prædicatum ablegauit: sed ta- men hoc ipsum in necessitatis casu sustulit, dicens: Quādo misi uos sine marsupio & pera, nunquid aliquid defuit uo- bis? Nunc autem qui habet marsupium & peram, tollat eam: & qui non habet gladium, uendat tunicam & emat eum. Hoc ipso docere nos uoluit ille, tempore periculoso licere etiam ministris suis, ut sese armis instruant. uerum quomodo pugnare debeant, statim audiemus.

¶ Disce hic non male facere ecclesiam, dum pro tem- porum opportunitate aliquid in consuetudinibus & legi- bus suis mutat & uariat. Quondam cōiugatus poterat sa- cerdotari, nunc non item. Olim legitima ætas eorum qui ordinari debebant presbyteri, erat triginta annorū, nūc uiginti quatuor tantum. Hic Christus etiam arma eorūq; usum antehac apostolis prohibitū relaxat, & cum eis dis- pensat. Antea uetuerat, ne abirent in uias gētium: dein- ceptus id ipsum eis mandauit, ascensurus iam iam in cælum. idem quoq; peculiariter præcepit Petro, qui illud primū non satis acceperat. Peccant igitur neochristiani & tur-

Matth. 10

Luce. 22

Matth. 10

Marci. 16.

Actus. 10.



pter errant, dum ecclesiam atq; concilia reprehendunt, super eiusmodi legum & constitutionum alteratione.

Nec; est quod hic confugiamus ad excusandum Petrum, qui gladium hunc portauerit in usum agni paschalis, uel insidias ueritus, uel quod gladiolus tantum siue pugio fuerit piscatorius: quia iam ante Christus eos pramonuerat, euidentem & urgentem ipsis significans necessitatē. quamobrem & ipsi dicebant, Ecce duo gladij hic.

Theoph.

¶ Videns Petrus unico CHRISTI uerbo percussos prostratosq; esse Iudæos, plen<sup>o</sup> ipse tū confidentiæ erat, tū feruoris, audiensq; CHRISTVM dicere, Sinite hos abire, ratus iam instare tempus uindictæ, percussit seruum pontificis, & ita percussit, quasi qui caput illius medium dissecturus esset, uerum singulari ordinatione dei tantum præscidit auriculam. Atq; sic (inquit Augustinus) permisus fuit Petrus dolorem facere, non occidere. & in alio loco, Petrus errans in amore domini, seruo, non libero auriculam abscidit. Nec; id tamen suo carer mysterio. quia enim seruum percussit, designat eos qui sub lege Moyfi uiebant, & seruos fuisse, & seruilem habuisse timorem.

Lyr.

Augustin.  
Que. no. 7  
ve. tes.

Atqui nos iam in nouo testamento liberi sumus, secundū quod dixit in euangelio CHRISTVS: Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Et quod seruo pontificis abscidit auriculam, hoc ipsum significat, quia legem carnaliter tantum intelligebat. ideoq; auris dextra, qua eam secundum spiritum accipere debebat, ipsi amputata est per principem apostolorū. Vel etiam in cōmune uniuersum significat Iudæorum omnium cæcitatem, si quidem ista auriculæ præcisio, signum fuit inobedienciæ Iudaicæ: quoniam aures habuerunt quidem Iudæi, sed non audierunt, eo quod partim contigit cæcitas in Israel.

Johan. 2

Roma. 104

¶ III. ¶ Post increpationem Petri, CHRISTVS sanationē, cuius meminī Lucas, adgreditur serui, cui nomen erat Malchus. Et id ob euidentiore historię certitudinem adposuit euāgelista, uel quoniam illum aliās etiam corporaliter loquendo magis nouerat, eo quod seruus iste esset pōtificis, cui ipse quoq; notus erat. Quod autem ad correptionē Petri attinet, nō ille qdē procul à lege talis onis aberat: sed tñ Christ<sup>o</sup> qui nos supra legē uenerat ad-

Exodi 21.  
Cyrillus.



Luce. 9.

Exodi. 2.

Aug. li. 22.  
contra  
Iansenium  
ca. 70.  
Actuū. 7.

ducere, uehementiam eius & nimium feruorem cohibuit. Si quidem multo melius est iusto iudici rationem iniuriarum reddendam relinquere, quam pietatis causa nostri sanguinis petere ultionem. Ad eundem modum alias quoque discipulos compescuit, petentes ignis de caelo descensionem, dicens ad eos: Nescitis cutus spiritus estis. Sed miraberis, quid ita generosi animi & peculiaris cuiusdam uehementiae homines elegerit deus. In ueteri testamento synagoga principem uoluit habere Moysen, qui quendam occiderat, & eundem in arenam sepelierat. In noua lege princeps futurus ecclesiae Petrus, Malchum occidere parabat: & declinante ictu, auriculam tantum illi amputauit. sic Augustinus, Quid, inquit, indignum, si Petrus post hoc peccatum factus est pastor ecclesiae, sicut Moyses post percussam Aegyptum, factus est rector synagoga? Et quamuis hic Augustinus tacite Moysen in simulare nititur peccati, tamen eundem excusat sanctus Stephanus, dicens, quia existimabat ille intelligere fratres, quoniam deus per manum ipsius daret salutem illis.

¶ Quaeseres adhuc, an hic in gladii percussione peccarit Petrus. Communis ibi responsio patrum est, peccasse Petrum: quia si male non fecisset, increpatus a Christo non esset. audiuit enim sibi dici, Mitte gladium tuum in uaginam. Aut non uis, ut calicem illum bibam? Qui gladio pugnat, gladio peribit. Insuper pro Petro dicere quis poterit:

1. ¶ At quem gladios gestare dominus eos iusserat, non ob aliud utique nisi in tutelam & protectionem suam.

2. ¶ Deinde ad illud quod Petro dixerat dominus de negatione sui, responderat ipse paratum se uel mori pro illo.

3. ¶ Eius quoque quod facturus erat, antequam faceret, ueniam a Christo petiit, dicens: Domine, nunquid percussimus in gladio?

4. ¶ Pro Petro etiam facere uidetur istud, quod dixit dominus: Sinite usque huc. Quasi dicat, Satis hoc est quidem, neque nimium uidetur in eo factum, dum ad aurem pertigit ictus, ne modo ulterius procederet cepta ista uolentia.

5. ¶ Quid quod ius id ipsum quoque naturae permittit, vim ui repellere?

6. Fecit hoc praeterea amore domini sui. & laudandus est seruus, non dubitans animam ponere pro domino suo.



7. ¶ Ad extremum etiam Glossa testatur Petrum hoc ex feruentissimo zelo fecisse, sicuti & Phinees, occiso Iudæo, quem inuenerat cognoscere mulierem alienigenam, nihil minus quam quod peccarit, laudatus insuper a deo: sicque diuina ira mitigata, & cessauit quassatio, & promissum ille sibi suscepit sacerdotium sempiternum. Numé. 25  
Psalm. 105

¶ Ad hæc omnia singulatim sic respondebimus, primumque statim dissoluimus illo dicto beati Augustini, cum ait: Ferre iussit Christus gladios, non ferire. Quo si nodus es contentus, sed adhuc opponis: qui id potuerit fieri, aut quare & in quem usum ac finem gladios gestarent, nunquid ut cum his scriberent aut pingerent? Ecce non desinis in magno mysterio puerilem intermiscere significationem. Respondeat itaque ad hoc etiam tibi Augustinus, dicens: Christus interrogauit de gladijs, non propter usum, sed significationem. Ecquid autem designarunt & representarunt gladij duo? Geminam scilicet potestatem, secularem & ecclesiasticam. Petrus uero iam iam papam summumque ecclesie pontificem futurum, non decebat gladio uti seculari. Sicque conueniunt hæc duo quæ dixit dominus, Sufficiunt gladij duo. Et mitte gladium tuum in uaginam, quoniam non conuenit papam quoque, sed imperatorem gladio seculari uti & pugnare. Idem hic dicere oportet neo christianos, si modo uolent extricare se ex illo, quomodo Christus admissis gladijs duobus tanquam sufficientibus, uetuerit tamen Petrum gladio suo uti. Ad II. dico, uerum quidem id esse, & confidentiam suam tantam Petrus Christo prænuclasse: ueruntamen & ipse non semel a Christo audiuit passionem suam prædici, unde & oportebat illum uoluntatem suam eidem conformasse, & minime illum negasse. Augustino  
Augustino  
Matth. 26 Ad III. Veniam quidem petijt Petrus, si expectare potuisset eandem: sed præstolatus non est, sed simul penè & petijt & percussit. Vulgatum autem iam est illud, Nihil & inutile æquipollent. Ad IIII. Quod Christus dixit, Sinite usque huc, non ad illam Petri inquisitionem pertinebat, qua quæsierat an percutiendum sibi esset, quasi eo ipso respondere illi uisus dominus annuisset. Nihil minus. Quin potius præcipere sic uoluit illis, ut suum relinquerent Iudæis imperum, seque ab eis capi sine



rent. Id autem dum dicebat dominus, iam amplius sibi reperare non ualebat Petrus quin percuteret. Ad V. Vera quidem illa est lex naturæ, et uim ui licet coërcere, dū id ira uisum placitumq; fuerit magistratui, non item si ad uerſet illi. Non itaq; inuito domino percutere debebat Petrus, eoq; minus, quia audiebat dominum sibi dicentem:

**Matth. 26** An putas quia non possum rogare patrē, & exhibebit mihi modo plus quā duodecim legiones angelorum? Quo modo ergo implebuntur scripturæ? Ad VI. Non imus inficias fecisse hoc Petrum ex amore erga Christum: uerū tamen & amor errare potest ac decipi, si nimium uehemēs sit, quia tunc celeritas & nimium præpropera uehementia non sinit rationem circumstantias omnes præmeditari, q̄rum defectu deinde opus malum redditur, sic Paulus Iudæos quoq; habere quidem zelum, sed non secūdam scientiam, testat. Debebat itaq; responsū Christi expectasse Petrus, eo maxime, q̄a & ipse iam ante à Christo seorsim reprehensus fuerat, quādo multis ex Christo de passiōe sua

**Matth. 28** auditis, dixerat illi: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Respondit autem tunc illi dominus, Vade post me sathana, scandalum es mihi. quia non sapis ea quæ dei sunt, sed ea quæ hominum. Ad VII. Et ultimum, quādo factum Petri confert Phinees, respondet id non secūdam se fieri: quia alterq; bonū, alterq; uero in se malū erat: sed qm̄ utrunq; ex feruenti factum est zelo, ideo conferunt inter se. In Phinees ergo amor laudatur cum opere, in Petro charitas tantum, non factum. Et hoc est quod doctores discretionē dicunt reſtricem & gubernatricem omnium esse uirtutū. Sicq; dum illa caruit Petrus, peccauit in temeritate sua, præsumens se proprijs uiribus à negatione Christi posse abstinere. peccauit etiam percutiendo Malchum uetitus à Christo, nec aliquam habens illius commissionem. peccauit in super fugiens à domino, peccauit præterea negando illū. Discamus hic nos Christiani non ex uindictæ & ultionis cupiditate, citra legitimam iuris formulam, proximum uelle offendere. Animaduertamus hæc ipsa uerba Christi, Qui gladio pugnat, gladio peribit. Horrendum hoc dictū est aduersus eos, qui nihil magis in uoto habent, quā ferrere, percutere, pugnare, ne eis contingat quod accidit

Peccata  
Petri.



Adonibezech, qui postquam septuaginta regibus summi-  
 tates manuum ac pedum amputasset, ita tãdem ipse quoq; Judic. 7  
 plexus dixit: Sicut feci, ita reddidit mihi dominus. Pestis ho-  
 minũ est, non homo, qui tanto feruore, imò furore ferrur  
 ad pugnas, gladios & ybera, cum aliãs uniuersa se ingerat  
 malorum omnium lerna. Audi quisquis sic insanis, audi  
 inquam furiose, quid Dauid dicat: Quorũ os maledictione psalm. 13  
 & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effun-  
 dẽdum sanguinem, contritio & infelicitas in uis eorum.  
 non est timor dei ante oculos eorum. Ecce quã proprie  
 & exacte uesaniã istorum expressit Dauid, quã pulchre  
 depinxit mores, uitam, omnesq; conditiones eorum. Ore-  
 mus deum & gratias agamus illi, dicentes: Pater noster.

## QVOMODO DV-

CTVS AD ANNAM DOMI-

*nus sit, & ab Anna ad Caiphã:*

*ibidemq; quo pacto Petrus*

*negarit illum.*

TEXTVS SECVDVS.

Cohors autem & tribunus & ministri Iudæ- Matth. 26  
 orum comprehenderunt Iesum, & ligauerũt eũ, Marei. 14  
 & adduxerunt eum ad Annam primum. erat Lucę. 22  
 enim socer Caiphæ, qui erat pōtifex anni illius.  
 Erat autem Caiphã qui consiliũ dederat Iu-  
 dæis, quia expedit unum hominem mori pro po-  
 pulo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus Matth. 26  
 & alius discipulus. Discipulus autem ille erat no- Marei. 14  
 tus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pō- Lucę. 22  
 tificis. Petrus autem stabat ad ostiũ foris. Ex-



iuit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifi-  
 ci, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit  
 ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex di-  
 scipulis es hominis illius? Dicit ille: Non sum.  
 Stabant autē serui & ministri ad prunas, quia fri-  
 gus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis  
 & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo  
 interrogauit Iesum de discipulis suis, & de do-  
 ctina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locu-  
 tus sum mundo. ego semper docui in synagoga  
 & in tēplo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in  
 occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas?  
 Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum  
 ipsis. ecce nō sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem  
 cum dixisset, unus assistens ministrorū dedit ala-  
 pam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respō-  
 dit ei Iesus: Si male locutus sum, testimoniū per-  
 hibe de malo: Si autem bene, quid me cædis? Et  
 misit eum Annas ligatum ad Caiphā pontifi-  
 cem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaci-  
 ens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex disci-  
 pulis eius es? Negauit ille & dixit: Non sum. Di-  
 cit ei unus ex seruis pontificis, cognatus eius cu-  
 ius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te ui-  
 di in horto cum illo? Iterū ergo negauit Petrus,  
 & statim gallus cantauit.

¶ Tria hic principio nota, quæ fecerunt Iudæi: Domi-  
 num ceperunt primum, quod & ignominiosum illi erat,  
 & plenum dolore. Deinde ligatum illum ui & impetu



pertraxerunt ad pōtifices: id ipsum etiam quā prāter omne meritum suum sit factum, tu ipse tecum expende & cogita, quomodo captus sit assertor ille & restaurator libertatis: uinctus, qui peccatorū uincula uenerat soluere: ad iudicem adductus, qui natus in hoc fuerat, ut homines tūc exulantes in paradysum reduceret.

¶ Quid multa? ad Annam ductus est primum, qui socer erat Caiphæ pōtificis anni illius. id ipsum sic iam ante cōstituisse, ut ita fieret, Caipham, testis est sanctus Augustinus, plurimis de causis. Augustinus

1. ¶ Quia hoc modo socerum suū honorare uolebat, dum primas iudicij partes illi deferebat.

2. ¶ Vel quod sic coram multitudine uideri cupiebat, declarans hoc modo quam iam secum certo conceptā habebat sententiam, eo æquiores esse & iustiores, quod a senioribus etiam foret adprobata.

3. ¶ Quanquam idem in maiorem Christi contumeliam fecisse putari potest, ut sic a multis iudicibus condemnatus haberetur.

4. ¶ Cyrillus, ducunt, inquit, eum primo ad Annam. unde subintelligere datur, artificem insidiarum ipsum fuisse, pactamq; proditori mercedem promississe. Cyrillus

5. ¶ Fieri tamē potest, ut quando domus Annæ in ipso itinere statim primum ducentibus sese obtulerit, occasione hac moti isti, eō primum induxerint illum.

¶ Quid autem in hoc sibi uoluit euangelista, qd eū pontificem anni illius appellat? nihil aliud utiq; , qd eo ipso insignem eorum innuere malitiam uoluit & peruersitatē. Quum em̄ primum episcopatum siue pontificatum instituisset deus, non annuum uoluit, sed cuiusq; uitæ perpetuum, atq; adeo hæreditario iure filiis succedentem, sicut Exodi. 29.  
Nume. 25 de Aaron patet & Phinees. Deinde pro filiis subinde se ingererant alieni & exteri. Tandem uero summus ille ecclesiasticæ dignitatis magistratus, etiā uenalis factus est, Iosephus  
li. 20. ca. 9 adeo ut quisq; plus pro eo pecuniarū expenderet, is possideret. Ad extremum facta etiā mutatio est in illo per uices, succedentibus sibi mutuo ijs, qui cōemptam dignitatē in suā redegerāt potestatē, nō sine Simoniarū uitio. Vnde & Ios. 1. 18  
cap. 8 Caiphas iste a Romano tandē Impatore Vitellio, loco suo



**Augustin.** turpiter amorus est. Narraturus itaq; Iohannes quid de CHRISTO coram Anna sit actum, non se tantum, sed & Petrum inquit esse secutum: quoniam ij duo fidelius adhæserunt domino. Vnde sunt qui duo genera uitæ in ijs expressa dicunt, actiuum & contemplatiuum. Atq; ut se testem uerissimum & in nullo suspectum ostendat, etiam modum insinuat, quo peruenerit in domum pontificis: quoniã notus ei fuerit, eo magis ingredi audebat, non facturus id ipsum, si notus ei non fuisset.

2. ¶ Animum hic mihi Iohannis ingenuum & fortẽ considera, quem à sequela CHRISTI, & ab ingressu domus pontificis absterrere nihil potuit: quamuis ipse & ætate minimus natu, & corpore tenerior fuerit. **Chryso-**stomus tantum ideo confidentius ingressum putat Iohannem, quia notus erat pontifici. Verum equidem putarim eo ipso magis ab ingressu absterritum illum fuisse, quem & nôrit pontifex, & CHRISTI sciuerit consanguineum simul esse & discipulum. Quia ergo captus iam magister erat, metuendum & illi fuit, ne ipse quoq; parũ tutus esset. Sic ad Petrum etiam dixit ancilla: Et tu ex illis es? quasi dicere uoluisset, Iohãnẽ hũc noui ad eos pertinere. Nunquid & tu ex eis es? Ingressus autem Iohannes, dixit ostiariæ, ut illa quoq; introduceret Petrum.

**Beda.** Quod significatione etiam non male conuenit: quia sic uita contemplatiua actiuam quoq; ducit ad deũ, quæ aliàs ab ipso futura erat, ut ille inquit, exclusissima. Interrogatus porro ab ancilla Petrus, an ne & ipse ex eis esset, pernegauit. Ecce columna firmissima, ad primũ, eumq; minutissimum unius uentuli imperũ, contremiscit. Vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis?

**Augustin.** Hoccine est magistrum sequi, se negare discipulum? Siccine pro domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, uox ancillulæ formidetur? Neq; uero id mirum cuiquam uideatur, si deus uerum prædixit, & homo de se falsum temere præsumpsit: sicq; Christũ simul magistrum, & se negauit esse

**Chryso.** Christianum. Quid ergo Petre, nec ostiariam rogantem perferre potes? Num miles, num aliquis eorum qui Iesum ceperant, rogabat te? Vilis erat ostiaria & abiecta, neque aspera percontabatur.



¶ S. Cyrillus illud Petri peccatū extenuare conatur, dicens, eum peccasse quidem negando Christū, sed id tamen fecisse ipsum metu urgente, sic quod interim nō caruerit charitate, quæ eō illum impulerit, ut finem uideret eorū quæ circa Christum fierent. Factum igitur hoc modo est, ut hinc urgente timore, illinc amore cogente, ad Christū negandū facile adduceretur. Quo nomine ministris etiā se cōiūxit, inter quos & minus suspectus haberetur, & magis uideret quem ardentem expectabat, finem. Sed hic malorum societas perdidit Petrum, illeq; adeo dimisso Christo, mixtus lupis, etiam denuo abnegauit magistrū. Neq; a yō discedit alienūmne existit, Petrū bis in atrio Annæ, tertium uero in ædibus Caiphæ dominū negasse: quibus negationes has oēs in domo Annæ, aliq; apud Caiphā existimēt factas. Verū istas & hūmōi alias q̄stiones plures, scholis relinq̄ & disputatiōibus, Quilibet hic misericordiā dei immēsam cōsideret, Christū in summis erat afflictōib⁹, capt⁹ & uinctus tenebat corā pōtifice, inter hostes suos stabat medi⁹, neq; tñ negatoris sui oblitus ē, quin eum tūc quoq; oculis misericordiæ suæ aspiceret, nō cōtemnens illū qui se plurimis (sicut euāgelistæ testatur, quorū quilibet alijs atq; alijs uerbis id ipsum descripsit) pertinaciter adeo uerbis negauerat. Verum is tamen galli cātu, Christi q; adeo benignissimo aspectu ad pœnitentiā permotus, exiuit & fleuit amare: neq; tunc tantum, sed deinceps per omnem uitæ suæ decursum, ad galli cicurientis uocem fleuit. Tu itaq; o misericordissime domine Iesu Christe, nos quoq; oculis misericordiæ tuæ clementer aspiciere dignare, gratiamq; simul & fontē lachrymarū nobis dona, ut sic nos q; peccata nostra animo cōrrito integre cōfiteamur & deploremus.

3. ¶ Interrogauit Christum Annas de doctrina & discipulis suis. Hi quia omnes aufugerant ab illo, carentes iam lumine fidei, ideo de eis nihil respondit. Simulq; suo te docuit exemplo, ut tu quoq; dum nihil boni quod de proximo dicas habes, malum etiam ne proferas: nisi id fiat uel in aliorum emendationem, uel iustam reipublicæ tranquillitatem & administrationem. Verum de doctrina respōdens, testimonio innixus est audientium, eo q; palā in synagoga docuerit semp. Neq; id prinacis erat, sed si-

Cyrillus

Theoph.



- dentis in dictorum ueritate. ista enim est ueritatis indubitata demonstratio, quando quis habet inimicos, testes eos: quæ dicit, illud autem multo maximum est, quod doctrinæ rationem ex ministris pontificis & pharisæis, qui ipsum ceperant, requiri ac peti desiderabat: quoniam ipse quem nihil latebat, sciebat utiq; cuiusmodi testimonium iam ante dederant n̄, qui ad se capiendū uenerant. dixerat
- Cyillus.** etenim, Nunq̄ homo loquutus est talia. Annas autē quia contemptor erat uerbi dei, indignus habebatur qui illud audiret. Quāuis id eo modo etiā accipi potest, quasi dominus pharisæos ad cognitionem scripturarū sic adducere uoluerit, dum nihil se loquutum diceret in occulto, quasi digito semet demonstrās diceret: Ille ego sum, de quo Isaias, Non, inquit, in abscondito loquutus sum, in loco tenebroso. Cæci autē isti cæcorūq; duces, nō attendebant illa, q̄ præuidēs Isaias, in persona Christi dixit: Tora die expādi man⁹ meas ad populū incredulū & cōtradicētē, &c.
- Cyillus.** ¶ Inter cætera hoc quoq; diligētius paulo, attentiusq; mihi contemplare, quomodo recte dixerit Christus, palam se loquutū esse profitēdo, quasi uolēs sic dicere, Quæ per Moysen uobis scripta sunt, non aperte, quæcunq; placēt deo, sed umbris atq; figuris & per ænigmata, significāt, & ruditate cōtecta literæ, quæ necessaria cognitu sunt, aperte nō exponunt. Sed ego pietatis uiam non ænigmatice, sed dilucide mundo prædicauī. Illis in figura contigerūt om̄ia, et tādē cū aduenisset nouus ille legūlator Christus, per quem gratia & ueritas facta est, ille palam docuit. Hic tamen latenter increpauit Annam & alios omnes, qui doctrinā Christi contrariā habebant legi Mosaicæ, simul innuēs nullam hic fieri debere collationē, eo quod Moyses umbra tantū fuerit, ipse uero ueritas aperta omnib⁹, quoniam & euangeliū liberū atq; manifestum sit bonis omnibus, tantumq; uelatum & opertū malis, uel Paulo attestāte, cum ait: Quod si opertum est euangelium nostrum, in
- Johan. 7.** ijs qui pereunt, est opertum.
- Johan. 3.** ¶ Dices autē, nonne multa clam solis discipulis dixit dominus? Nonne ad eū Nicodemus quoq; uenit noctu? Nōne
- Johan. 16.** ipse etiā cū discipulis suis loquēs, dixit pleraq; illis se in parabolis & puerbīs eē locutū? R̄sio, Multi hic multa, alijs



alia dixere, quorū bonā partē scholīs relinquimus. Tantū hoc adiūcto, ab hoc textu non abhorre, q̄ Christus dixerit illud ad declinādā falsam pōtificis suspiciōē. Nihil, inquit Theophylactus, in occulto loquutus sum: hoc est, nihil seditiosum, & sicut tu opinaris. Nihil innuo, neq̄ dolosa & occulta mēte propriū quiddā loquutus sum. Quia nisi sic intellexerimus, q̄ ad suspiciōem pōtificis hęc dixerit, uidetur mentiri. Nā multa dixit in occulto, utpote ea quę supra captum multirudinis erāt. Sic autē uoluit exprimere & designare se illum esse, de quo psalmistes dixerat: Annunciabo ueritatem tuam in ecclesia magna.

Theoph.  
Chrysof.

¶ Quid porro hac responsione uerius, mansuetius, iusti? Et tñ nō defuit iniquissimo huic domino, paris imperatis socius, seruus nequissimus. is Christū percussit q̄ potuit uiolentiſſime, acclamans: Siccine respondes pontifici? De huiusmodi dominis iā olim dixit Salomon: Quia princeps qui libenter audit uerba mendaciū, omnes ministros habet impios. Vsq̄ adeo non est in rege aut principe argumentū uitę suę certius, quā a aula. Seruū hunc Malchum fuisse, cui paulo antē auriculā restituerat dominus, aperte testatur Chrysoſtomus. Nos autem si cogitemus quis acceperit alāpam, nonne uellemus eum qui percussit, aut cęlesti igne concussus, aut terra dehiscēte absorberi, aut correptū dæmōno uolūtari, aut aliqua huiusmodi qualibet pœna, uel etiam grauiore puniri?

Psalm. 39.

Augustin.

Proue. 19.

Chrysof.

Augustin.

¶ S. Cyrillus existimat seruū hūc nequissimum, ideo Christum percussisse, quoniam offenderāt ministrorum aliqui Iudæorum principes, qui capere Christum iussi, sic eū admirari sunt, ut laudātes dicerent, Nunquam locutus homo sic est, quo responso in rabiem concitati sunt pharisæi. Quum igitur respōsio saluatoris ad memoriā huius rei principes reducebat, idcirco ne de animo suo beneuolentięq̄ principes suspicarentur, qui aliās quia Christum admirabatur, fuit resp̄ hēsus, alapa Christū cędit. Solēt em̄ ministri nō ferre quicq̄ aduersus se principibus referri.

Cyillus.

¶ Respondit autē dominus: Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo. Ecce percussus dominus sic respondet, ut quemlibet ueritatis amatorem potuerit mitigare, & ad benignitatē perducere. Deinde discimus hoc

Theoph.



- Matth. 5** ipso Christi exemplo, mandata apud Matthæum illa, quorum pleraque consilia sunt, non ad literam esse intelligenda. quod enim ibi de exhibiti oris maxillæ docuit, idem hic ipse corporaliter non impleuit. Quin potius sic monstrauit sua illa magna præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione eē faciēda, nisi illud uel in cultū dei, uel in usum uergere posse uideat ecclesie. tūc sane ne maxilla quidem à manu percutientis est retrahenda. Ita hic animo suo institutus probeq; paratus fuit dominus, ut potuerit dicere cum Dauide: Paratum cor meum deus, paratum cor meum. Idem uero quod hic mente, deinceps ipso præstitit opere, dum non maxillam tantum, sed omnia totius corporis membra exhibuit flagellantibus se. In nulla (inquit Augustinus) Christiana historia, in qua est autoritas, tale quicquam inuenies factum à sanctis, uel ab ipso domino, quum in homine, quem suscipere dignatus est, uiuendi nobis præberet exemplum. Quum tamen omnibus fere locis eos inuenias paratos fuisse æquo animo rolerare, quicquid eis improbe fuisset ingestum. Ceterum ubicunq; apparebit nimiam patientiam uergere in contumeliam & blasphemiam dei, animarumq; perniciem, resistendum tunc est, sicut Christiani non tū non alteram Turcis porrigunt maxillam cædendam, sed & bella aduersus eosdem mouent & armis se tuent, quamuis non eadem semper felicitate. Admonet hic Cyrillus Christianos patienter sufferre debere omnem contumeliam, sicut & Christus alapam à mancipio sordido incussam, patienter sustinuit, & idē iam olim admonuit Sapiens, quum ait: Omnis iniuriæ proximi ne memineris. Quia autem reliquæ euangelistæ copiose quæ circa Caiphā dicta factaq; sunt descripserunt, eadem uel modice attingit Iohannes, uel omnino superfedit, quoniam postremus scripsit euangelium, eaq; suppleuit, quæ cæteri parcius breuiusq; narrarunt. Nos iam quoque dolores Christi inter uincula, captiuitatem & in alapa piis precibus uenerantes, dicamus, Pater noster, qui es in cælis. &c.
- Augustin.**
- Psalm. 56.**
- Augustin.**
- Cyrlus.**
- Ecc. 10**



## S QVOMODO DVCTVS

A CAIPHA AD PILATVM

fuerit dominus, & quæ illius cum  
Christo colloquia, quantaq;  
extiterit ibidē tumultuā-  
tiū Iudæorū uesania.

## TEXTVS TERTIVS.

Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætori-  
um. Erat autem mane, & ipsi non introierunt  
in prætoriū, ut nō contaminarentur, sed ut mā-  
ducarent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos fo-  
ras, & dixit: Quam accusationem affertis aduer-  
sus hominē hunc? Responderunt & dixerunt ei:  
Si nō esset hic malefactor, nō tibi tradidissimus  
eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eū uos, &  
secundū legem uestram iudicate eum. Dixerūt  
ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quen-  
quam. ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, si-  
gnificās qua morte esset moriturus. Introiuit er-  
go iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Ie-  
sum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Respōdit  
Iesus: A temetipso hoc dicis, an aliū dixerunt ti-  
bi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iu-  
dæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt  
te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum  
meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo  
esset regnum meum, ministri mei uniq; decerta-  
rent, ut nō traderer Iudæis. Nunc autē regnum

Matth. 26  
Marci. 15  
Luc. 23

Matth. 27  
Marci. 15  
Luc. 23



meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respōdit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mū dum, ut testimonium perhibeā ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Et cū hoc dixisset, ite rum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam in uenio in eo causam. Est autē consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. uultis ergo dimittam uobis regē Iudæorum? Clamauerunt rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barab bam. Erat autem Barabbas latro.

Matth. 27  
Marci. 15.

Matth. 27  
Marci. 15.  
Luc. 23

¶ Ecce primum à Caipha ad Pilatum adducunt domi num, siquidem eorum iam potestas plurimum erat illis à Romanis diminuta, quemadmodum ipsi deinceps confi zebantur, dicentes, sibi ius non esse quenquam occidendi. Decreuerunt igitur tantum super sanguine Christi, reū illum esse mortis: iudicium autem & sententiam ferre nō audebant, sed in hoc Pilato eū præsētabant præsidi Ro mano. At recte dixit Iezechiel: Sicut fecisti, ita erit & ter riberio tua. Viam tuam reddam super caput tuum. Sicut ergo Christum Iudæi magistratui Romano obtulerunt, ita post annos quadraginta ipsi etiam in manus Roma norum peruenerunt, non sine suo magno malo & perni cie ac excidio. Ad multos, inquit Theophylactus, iudices ducunt dominum, opinantes se illum cōrumelia adfestu ros, sed re uera per multa tribunalia clarum reddunt. do minus enim omnia illa exiuit, nō conuictus de crimine.

Theoph.

Verum tu hic peruersam considera Iudæorum hypocri sim, qui in prætorium ingredi metuunt, ne polluant, san guinem fundere innocentem nil metuunt: lapides & la teres prætoria riment stolidi, lapidem angularem qui fa ctus est in caput anguli, nihil uerebantur. Agnum typicū Cyrillus. honorare cupiunt, ut eo uescantur mundi: & insani agnū

Psalm. 117  
Cyrillus.



nerum, qui uenerat peccata mundi tollere, præsumebant ac parabant occidere. Velut excommunicatū habebant eū, quisquis post cepti iam festi principium, domum ethnici fuisset ingressus, magna & immensa, ut ait Augustinus, irregularitate.

¶ Sunt qui putent Iudæos uesperī tam fuisse occupatos in capiēdo Christo & irrequietos, ut agnum suum tunc non manducārint, sed distulerint esum illius in diem sequentem. & ideo aiunt dicere euangelistam, quia ingressi non sint in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Verum hoc illis licuisse, nullum plane extat scripturæ testimonium, nisi forte in proximum usque mensem prorogārint. Neque est quod suspicemur eos, ut erant literæ legis addictissimi, transgressos fuisse præceptum. Ideoque dicunt doctores pascha tria significare, agnum, festiuitatem paschalē, & panes azymos, sicut hic accipiunt. Sin uero feruenti adeo fundendi sanguinis Christi cupiditate neglexissent uesperī manducare agnum, quanta fuisset isthæc malitia? quàm peruersa nequitia & malignitas? imò quàm magnum & sceleratum facinus, temere transgredi mandatum dei, quod erat in lege summum de esu agni? Si enim præcepit deus ne quid ex agno permaneret reliquum usque in crastinum, quanto minus licebat eis totum illum differre in diem alterum? Porro autem nihil istis mouebatur Pilatus, etiam tumultibus: neque afficiebant eum turmatim irruentes Iudæi, Christumque adducentes uinctum: nihilo contentus priuato istorum iudicio, interrogat quid commeruerit, quid designārit. inque hoc ipso male non fecit, sicut & Festus dicebat: Non est Romanis cōsuetudo, damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciunt.

2. ¶ Ad hæc Iudæi solita hypocrisis probitatem suam astruere uolentes, inquirunt: Si non esset hic malefactor, ea nos sumus pietate, tamque confessa apud omnes & conspicua probitate uiri, ut sane innocentem illum tibi non tradidissemus. Sed interrogentur atque respondent ab immundis spiritibus liberati, sanati languidi, leprosi mundati, surdi audiētes, muti loquentes, cæci uidē-

Johan. 7

Augustin.

Exodi. 12.

Nume. 9.

2. Para. 35

Exodi. 12.

Chrylost.

Actu. 25.

Augustin.



tes, mortui resurgētes, & qd omnia supat, stulti sapientes, utrum sit malefactor Iesus. Verū hoc dicūt isti, de quibus ipse per prophetam loquitur dominus: Retribuebāt mihi pro bono malum.

**Psalm. 54.** ¶ Nihil autem adhuc agunt, proficiunt nihil apud Pilatum: quia nondum satis illi faciunt ista, neq; adduci potest, ut super hac coniectura statim iudicet, quin potius dicit, Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate. quasi dicat, Tantum apud uos uestrum ualet iudicium, satisq; uobis facit ista censura uestra. Age & sententiam

**Chrysostr.** ferte, iudicate, cōdemnate. Videbat ille nimirum nullum eos habere fundamentum, seq; ipsos facere suspectos, dū pertinaciter eo tantum damnatum illum uolebant, quod eum ipsi iudicarent reum esse mortis, neq; tamen morte dignum argumentum ullum adferebant. Ait ergo: Nō est fas mihi nullo accusatum crimine hominem secundū leges punire. ipsi itaq; secundum uestram legem iudicate, si etiam innocentes lex uestra condemnat.

**Cyillus.**

¶ Et clamauerunt Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Quid est, quod insana loquitur crudelitas?

An non interficiebatis insanissimi, quem interficiendum offerebatis? Nō occidebatis, quem in hoc caprum, uinctū, & iudicio pontificum condemnatum ad Pilatum pertraheratis? Sed audio, clamatis uos manu uestra illum non occidere. Sic Pilatus quoq; ipsum manu sua occisurus non fuerat. Alia autem quædam interficiendi forma est, alius occidendi modus: idq; per linguam & uoluntatem, atq; istam immanem deferendi, obrectandi & calumniandi truculentiam. Nam dum innocentem temere adusatis, dum mortem eius modis omnibus appetitis, quid aliud agitis, quàm quod eundem etiam occiditis? Nunquàm ne

**Psalm. 56.** legistis huiusmo di quid in Dauide, Filij hominum, dētes eorum arma & sagitte, lingua eorum gladius acutus? Ecce arma uestra quibus tradidistis dominum, quando clamabatis, Crucifige crucifige. Et iterum in alio Psalmo: Acuerunt linguas suas sicut serpentes, intenderunt arcū suū rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

**Psalm. 63.**

¶ Quærere solent hic doctores, quomodo dixerint hic Iudæi, non licere sibi occidere quenquam, cum tamen &



Stephanum occiderint, & mulierculā in adulterio depre- Actuū. 7  
 hensam in hoc produxerint, ut lapidibus obruerent. Et Johan. 8  
 ipsum præterea Christum in Nazareth erant de monte Luce. 4  
 præcipitaturi. Quid igitur hic dixerūt, potestatem se nō  
 habere, ut occiderent quenquam? Chrysostrōmus quidem Chrysostrōm  
 putat, Romanos omne ius iudicādi ipsis ademisse, ne lice-  
 ret eis uel super sanguinem iudicare, uel crucifigere quē-  
 quam. Alij opinantur in festiuitatibus (cuiusmodi illa iā  
 imminens paschalis erat) illis non licuisse. Equidem cre-  
 diderim operæ precium non esse, quocunq; prætextu uel  
 le sceleratos istos defendere: qui, ut erant inuidia excæca-  
 ti, nullius mouebantur mendaciū uerecundia: nihilq; ob-  
 stat quin mētiri sint hic turpissime, sicut de Stephano cla-  
 re patet. Mendaciū autem istius ratio adsignatur huiusmo-  
 di. Permiserāt Iudæis Romani in legitima sua animaduer-  
 tere, & transgressores eorūdem punire, puta blasphemū  
 aut adulterum lapidibus obruere: neque uero moris erat  
 apud Iudæos, cruci adfigere quenquam, propter illud le-  
 gis dictum: Maledictus qui pendet in ligno. Et si lapida-  
 re eum noluerunt, quod poterant licite, mentiri malue-  
 runt, adserendo nō licere eis etiam occidere quenquam,  
 ut præses Romanus condemnandum eum adsumeret, nō  
 ignari solitos esse Romanos, eos qui obedire nollent, cru-  
 cifigere. sic sperabant suam sententiam successuram, ut eo  
 magis ille confunderetur. In summa, uolebant eum con-  
 demnatum morte mori, nō qualibet, sed (ut Sapiēs in per Sapien. 21  
 sona eorum inquit) turpissima. Hinc adeo urgebant Pila-  
 tum uolentem nolentem, ut Christum reum esse mortis Matth. 26  
 proclamaret, sicut antea prædixerat Christ⁹: Ecce, inqui-  
 ens, ascendimus Hierosolymam, & filius hominis trade-  
 tur gentibus flagellandus, illudendus, conspuendus, occi-  
 dendus. Non autem descripsit Iohannes querelam Iudæ-  
 orum, quam uidebat luculenter satis à Luca descriptam.

3 ¶ Cum nihil respōdisset corā rota multitudine Chri-  
 stus, tandem seorsim à Pilato rogatus, Rēx ne esset Iudæ-  
 orum, respondit ei: Ex temetipso hoc loqueris, an alij ti-  
 bi dixerunt de me? quasi diceret, Ex teipso hoc loqueris?



fane tu id cum primis scire & cōpertū habere debes, si ego regem me iactitem, quando Cæsaris uices geris. Sin uero alij tibi dixerunt de me, credas mentiri eos. nam si uerum esset, non & tu dudum illud rescisses? Ipsi quidem aliquando regem me creare uolebant, sed & tunc aufugi, non suscepturus quod deferebant. Theophylactus putat uerbum hoc Christi, in se habere nonnullam Pilati reprehensionem. quasi dicere uellet, Si ex te hoc loqueris, argumentū exhibe inobedientiæ meæ & excitatæ seditionis: sin alij tibi dixerunt de me, illos require, uide resciscere cures, ne que mihi temere iniuriā facere pergas. Deinde dixit Christus Pilato: Regnum meum non est ex hoc mundo. Quo uerbo liberauit ille Pilatum à formidine, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat. Dum igitur dixit, Regnum meum non est ex hoc mundo, insinuauit illi hoc, quasi sic diceret, Tu tanquam Romanorum uicarius non est quod tibi à me metuas quicquam. neque enim ex hoc mundo est regnum meum, nullum ego conscripsi exercitum, neque milites conduxī aut satrapas, neque armis me instruxi, nec aliquam seditionem moui.

¶ Obijcis autem, quomodo dicat dominus regnum suum non esse ex hoc mundo, cum tamen dicat Dauid, domini esse & terram & uniuersam illius plenitudinem. Cum insuper deus pater dicat Christo, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuam & possessionem tuam terminos terre. Et iterum filius ipse, Constitutus sum rex ab eo super Sion. Quomodo igitur ait dominus regnum suum non esse ex hoc mundo, cum tamen potestatem ille habebat parem in cælo & in terra? Responderetur ad hæc, quia proprie & notanter dicit hic dominus: Regnum meum non est hinc. Non autem dicit, Regnum meum non est hic. Constat enim deum uniuersæ terræ rectorem esse & dominatorem: quia regnum eius est usque ad finem seculi. Christusque adeo totius mundi dominus est. Veruntamen in propria uenit ille, inquit Iohānes, & sui (scilicet Iudei) non receperunt eum. Bene igitur regnum Christi hic est in mundo. dominatur hic per fidem in hominibus bonis, sicut & inter uos multos esse confidimus, in quibus hic dominet Christus, cuius tamen regnū interim non est hinc,

Iohan. 6

Cyrillus.

Psalm. 46

Psalm. 2.

Augustin.

Iohan. 1



neq; ex hoc mundo, neq; ex rebus terrenis, sed ex deo, ex  
 celo inquam, non ex hoc mundo: in quo quicquid est, ua  
 nitas uanitatum est & mera uanitas. In quo inquam quicquid  
 est, uel est concupiscentia oculorū, uel carnis, uel su-  
 perbia uitæ. Ut iam uere dixerit Christ⁹, regnū suum non  
 esse ex hoc mundo nequā, qui ideo & in maligno tot⁹ po-  
 situs esse dicitur. longe aliud est regnum Christi, qd semp-  
 ternum & infinitum esse iam olim adnunciauit Gabriel.  
 O felicem hominem & beatum, o uere hominem diuitē  
 & nobilem, o inquā uere potentem, imò regem, qui cum  
 Christo dicere potest in ueritate: Regnū meū non est ex  
 hoc mundo. Regnū meū, regnum Christi est & dei. Re-  
 gnum illud mihi contingere & spero & quotidie oro, di-  
 cens: Adueniat regnum tuū. Imbecillitatē p̄terea & fragi-  
 litatem regni mundani hic Christus in sinuat, q̄ in seruis  
 suam habeat potentiā: supernū autē regnum sibi ipsi suffi-  
 ciens est, & nullius indiget. In hoc regnum Christus fide-  
 les omēs imposuit, qd Paulus quoq; confitens, inquit: Eri-  
 puit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnum  
 filij dilectionis suæ.

Eccēs. r.  
 & Johā. 2

1. Johā. 5

Luce. 1

Chrysost.

Theoph.

Johā. 1

Augustino

¶ Porro euidentius adhuc regnū suū ostendens Chri-  
 stus, dicit: In hoc natus sum. Quod quidā intelligunt de  
 æterna generatione ex deo patre, ut esset rex gloriæ ab  
 æterno: deinceps tamen in tempore natus est ex uirgine  
 matre, ut testimoniū phiberet ueritati. Qui sic inquit.  
 quoniam ante Christi aduentū regebat in mūdo falsitas  
 & impietas cultus diuini, primas tenebat religio uana, sa-  
 pientia tumida dominabatur, fictæ uirtutes uigebant, se-  
 que pro ueris uirtutibus paulatim ingerebant. Et quid  
 deniq; tunc non in summo peruersitatis gradu consiste-  
 bat, quando diabolus cum omni errorum & mendacione  
 colluete, dominabatur in orbe? Simulatq; uenit in mun-  
 dum hūc natus hō Iesus Christus, uerus ab æterno deus,  
 per eundem quoq; ueritas aduenit simul. Augustin⁹ id oē  
 de incarnatione Christi intelligit. Tu deinceps iā confi-  
 dera, quā alta, quā sublimia, q̄q; plane diuina Christi⁹  
 docebat, quæ tamen omnia Pilatum nihil mouebāt. Chri-  
 stus dicebat: Quicumq; est ex ueritate, uocem meam au-  
 dit: ex ueritate autem quisquis est, ex deo ipso est, quoni-



am deus ueritas est. Et Pilatus igitur cum rogasset eum, quidnam  
 ueritas esset, nec tamen responsum expectans, uocem Christi  
 audiuit, quid restat, nisi quia & ipse ex ueritate non fuit?

*Jo. 4.*

¶ Præterea uide an non nostrates ignaui & dormitantes  
 Christiani, Pilati magis sectatores sint quam Christi discipuli,  
 pura qui citra omnem causam à sacris cōcionibus exeunt &  
 aufugiunt, neque illarum finem expectant, instar Pilati: quæ in  
 salutaribus rebus docere exorsus dñs, erigere uolebat ad  
 sublimia illa dei mysteria: uesque ille reuult expectare, un-  
 de & in tam immensa peccata deinde uelut per precipitiū cōcidit.

*Pomeran.*

¶ Nitebat tamen & cupiebat adhuc liberare dñm p  
 consuetudinē illā Iudæorum, qua semper ex uinctis unus di-  
 mittebat ad pascha à pside Romano. Mitto hic & libens  
 transeo ridiculā istā hæretici Pomerani obiectionē, qui  
 ait consuetudinē hanc fuisse contra legē dei, quasi hodie  
 quæque peccent principes nostri, dum solita beneficentia & ge-  
 nuina misericordia moti, mortis etiā reos liberāt, atque in-  
 de meritas suæ cōmiserationis laudes reportant. Non in-  
 tellexit autē hæreticus iste, quia misericordia superat iudi-  
 cium. Neque hunc discedit sententia Cyrilli, cum asserit cōsue-  
 tudinē hanc ortā eē ex libro Numeri, quā multitudo popu-  
 li liberare poterat, quod homicidiū ex impuiso cōmiserat.

*Jaco. 2*

*Cyillus.*

*Dume. 36*

*Cyillus.*

Nunc uero omni iudicio sanguinis relicto Romanis, hoc  
 unum licebat uulgo, ut illo tpe uinctus aliquis dimitteret ei.

¶ At quod toties regem Iudæorum uocat Christum Pilatus, eo re-  
 ferunt plerique, quoniam sic rabiem Iudæorum risu mitigare conaba-  
 tur, simulque prudenter ostendebat, falso ipsum hoc crimi-  
 ne accusari. Nunquam enim Romanus prefectus cupiditate ty-  
 rannidis aduersus Romanos accusatum, si quicquam signi daret,  
 dimitteret. Nec est quod dubites, si uel parum nocens cognitus  
 dominus fuisset, minus eum dimittere cupiuisset quam Iudæi. siqui-  
 dem id magis ad ipsum & Imperatorem Romanum pertine-  
 re uidebat, quam ad alium quemquam. Multo itaque Pilatus Iudæis  
 probior fuit, & quis ethnicus ille, & solo tantum iure iudici  
 omni naturali fretus erat, sæpenumero tamen Christum quem  
 innocentem agnouerat, liberare cupiebat. Vicissim Iudæi  
 legem etiā habentes diuinam, Christum innocentem cō-  
 demnare non timuerunt.

¶ Sed tandem uivum furentium Iudæorum uirus



erumpit inuidia, qui præ Christo magis homicidam elegerunt Barabbam, quamuis Augustinus dicit, Non reprehendimus o Iudæi, quod per pascha liberatis nocentem, sed quod occidistis innocentem. Quamuis hinc quoque magis patet Iudæorum peruersa malitia, quia nõrunt in libris Numerorum, unde hæc manauit consuetudo, dimissum à multitudine, qui non ex proposito homicidium commiserat. Barabbas autem & homicida magnus fuit, & seditiosus, atque adeo in seditione hominem occiderat.

Augustin.

Nume. 35

Cyrillus.

Jeremi. 12

Psalm. 46

Exodi. 22.

¶ Ego uero, inquit Cyrillus, diuinã admirari satis scripturam nequeo, quæ uel huius insani clamoris ex persona Christi sic per Ieremiã meminit: Reliqui domũ meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me uocem. Aut quæ nam alia Christi hæreditas extitit nisi ipsi Iudæi, secundum quod Dauid dixit in Psalmis, Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob quam dilexit: hæc nimirum hæreditas facta est quasi leo in sylua, qui magno rugitu fertur in prædam, ut feras cæteras exterreat. Hæreditas ista Iudæorũ uocem suam dedit hodie in immenso furore aduersus dominum, quasi leo in sylua, ut sic Barabba latrone dimisso, innocens Christus occideretur. Et quis non magno dolores apud se cogitat, quomodo contra legem dei Barabbas dimittitur? ira enim lex habet, Maleficos non patieris uiuere. legis uero lator iustissimus crucifigitur. Tantum liuor tabificum malis uenenum præstare potest, tantumque peruersa ualet inuidia. Oremus, Pater noster. &c.

## DE QVO PACTO FLAGELLATUS

LATUS IAM, ET SPINIS CORONATUS

dominus post multam tum Pilati inquisitionem, tum uulgi tumultuantis illusionem, inter clamores cõtinuos crucis supplicio sit addictus.



- Matth. 27  
 Marci. 15. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum. Et ueniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum. & dabant ei alapas. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans spineam coronam & purpureum uestimentum. & dicit eis: Ecce homo. Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos & crucifigite. ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde querebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem
- Act. 17



cū audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco quī dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceue paschæ, hora quasi sexta. Et dicit Iudeis: Ecce rex uester. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Respōderunt pontifices: Nō habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.

¶ Etsi Pilatus intentionem in hac re bonam secum cōcepisse uideri queat, illa tamen in radice pessima fuit. neque enim eo statim iniuriam alicui facere debet iudex, quod pars altera multa ad uindicandum postulat. Augustinus sic inq̃t: Quod flagellari Christū permisit Pilatus, non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut eius iniurijs Iudæi satiari, sufficere sibi existimarēt, & usq; ad eius mortē sauire desisterēt. Ex impetuoso em̃ eorū clamore intelligebat Pilatus, se nō posse ipsos eo p̃ducere, ut ultero dimitti liberiq; abire Christū sinerent: sicq; illū flagellari passus est inique, ut fortasse ita sedato eorū furore, inde eū posset dimittere, ut inq̃t Chrysostomus, & nos iā supra ex ṽbis Lucæ demonstrauius. Quō autē milites Christum, ait Chrysostom⁹, flagellabāt, siquidē nō preceperat Pilatus? Ad Iudeorū gratiā scilicet. Neq; em̃ noctu à Pilato iussi cū Iuda profecti sunt, sed pecunia à Iudæis allec̃ti, oīa audebāt. siquidē in reliquo comitatu, cohortis q̃q; tūc meminit euangelista, sed multis modis hic apparet, quanto tū mitior tum benignior fuerit Pilatus quā Iudæi.

¶ S. Augustinus in hac flagellatione impleta esse perhibet uerba Christi, quibus se flagellatū gentibusq; traditum iri ipse prædixit. Sed sic tamē martyres quoq; informabātur, ad oīa que persequuntur libuisset facere, perferenda. \* sic paulisp̃ occultata tremēda ponā\*. cōmendabatur prius imitāda patientia. sic illud granū multiplicā dum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pulularet in gloria. Vult dicere, Tātis supplicijs suis exēplum Christus p̃fixit martyribus, ut & ipsi p̃ cōtumelias, p̃enas



& supplicia discerent gloriā ingredi felicitatis æternæ. Quia si hæc pati oportuit dñm & qdē regē gloriæ, eandē utiq; uia ingredi etiā cogent sequaces illius, & suā q; crucem tollere, Christumq; ductorem sequi. (De mō flagellatiōis, coronatiōis & spinis, uide in passiōe superiori.)

¶ Siue igitur iusserit, siue indulserit Christū flagellari Pilatus, cōstat nō ignorasse utiq; ipsum, id ita ministros suos fecisse. Quamobrem in animum & mētem sibi subiit, Christum sic cæsum educere foras, ubi suum ipse ultro confessus est delictum, q̄ illum tale nihil meritum, citra omnem causam flagris permiserit cædi, tantum ut ipsis animū expleret miserabili illo sanctissimæ faciei aspectu. Atq; subinde hic Christi profitef innocentia summam.

2. ¶ Sed ecce hic dominus Iesus progreditur amictus purpura, quam ei serui præsidis induerant risus mouendū gratia, & corona redimitus spinea. Iāq; Pilatus exclamat ad uniuersam multitudinem: ECCE HOMO. Magnū hoc sane uerbum est, & ipsi etiam Pilato proculdubio non intellectum, sed linguam eius mouit spūs sanctus, ad cōsummationem immensi illius mysterij dei, passiōis Christi. Vere em̄ hō erat Chrs & peculiariter hō p̄ oibus alijs, q̄a simul etiā deus. Et sic si plene intellexisset mysteriū hoc Pilatus, dixisset utiq; Ecce hominem deum uestrū. Ecce, inquam, homo, homo quidem sicut ceteri sunt homines, mortalis, sed tamen in quo genus humanum est restitutum. Vos nanq; scire cōuenit, quia peccatum personā destruit delinquentem, sicut Iezechiel uester ait: Anima que peccauerit, ipsa morietur. Pctm̄ autem Adæ nō tm̄ personam illius corruptit, sed etiā totū uitiauit genus hominū, eo q̄ omnes in Adam homines, sicut in origine sua, fuerunt. Rursus uero Adā ille cælestis, naturā humanā totā (quod quidem in se fuit) reuocauit, restaurauitq;.

**Iezech. 18**

**Roma. 5.**

**1. Cori. 15.**

**Augustin.**

**Aristotel.**

¶ Ad literā tñ sic in summa dixit Pilatus, Ecce hō. Quasi diceret, Si regi inuideris, iā parcite, q̄a deiectū uideris, flagellat⁹ ē, spinis coronatus est, ludibriosa ueste amictus ē, amaris cōuitijs illusus est, alapis cæsus est, feruet ignominia, frigescat inuidia. Naturale em̄ ē mitigari irā, dū ille uel affligit uel humiliat, cui irascimur. Nihil aut̄ n̄s omnibus proficiebat apud liuidos istos & iamiam inuidia tabescentes Iudæos, siquidem etiam adhuc amplius, uiso iam



domino, in furorem acti sunt, & clamare ceperunt: Crucifige. Quilibet homo Christianus in corde suo circumferat miserabile & penitus squalidam illam Christi imaginem, quando à Pilato miserabiliter adeo eductus est, meminert sedulo uerbi illius, Ecce homo Christus Iesus, benedictus ille dei filius, qualis pro te factus est.

¶ Porro crucifixionem, summum, inquit Cyrillus, extremae impletatis dedecus, à principibus Iudæorum solis, euangelista traxisse originem ostendit. Nam quum multitudo aliquando in factis suberubesceret, recordati forsitan miraculorum illius, ipsi primū exclamant & uulgus incendunt. Quamuis hic quoque doctores sancti dicunt, omnem illam multitudinem hominum, quae uel tunc fuerit, uel post erant futuri, assiduus uotis exclamasse, ut filius dei crucifigeretur, aliās de salute sua actum esse, eo quod omnes qui per Christum sunt redempti, causa fuerint crucifixi Christi, sicut Bernardus etiam peccata nostra spinas illas perhibet fuisse, quae caput pupugerunt dominicum.

¶ Adhuc tamen proposito suo immoratur Pilatus, adhuc adfirmat non inuenire se in eo quicquam morte dignum, & ideo dicit, Accipite eum uos, & secundum legem uestram crucifigite. uult dicere, Si hoc uobis iustum est, innocentem occidere, age & hunc crucifigite, penes me sane iniquum illud fuerit. Recte quidem Pilatus nullam ait se inuenire in eo causam, quod erat re uera uerissimum, si literam solam inspicias. sed si ad sublimiora animum erigas, & tunc sibi constabit, quia nullam in Christo causam Pilatus inuenit, siquidem & gentilis & ex falsitate fuit, Christumque interrogauit quidem quid ueritas esset, uerum responsum non expectauit. Ecquid ergo mirum, si nullam Pilatus in Christo causam inuenit? cuius tamen linguam dirigebat spiritus sanctus, ut diceret, Non inuenio in eo causam, eo quod causa mortis Christi non in ipso, sed in nobis erat, peccatum scilicet nostrum. Atque id sane angeli, prophetæ dei cognouerunt. Inuenit hanc causam Isaias, ideo dixit, Vulneratus est propter scelera nostra & in salutem populi.

3. ¶ Audiētes autē Iudæi Pilatum iam de liberando Christo cogitare, neque magnopere moueri iis quae ipsi aduersus eum attulerant: sicque uidentes hac uita ad cusationem suam succedere non posse, non interquiescunt, sed alia



statim adgrediūt uia & clamāt, putāres sic illi maiorē apud Pilatū inuidiam se cōciliaturos. Dicūt ergo: Nos legē habemus, & secūdum hanc debet mori, quia filiū dei se fecit. Reus igitur est mortis, eo maxime, quod etiā lex blasphemū precipit occidi. Sic Iohānes quoq; testatur eos aliquādiu conceptam hanc secū super illū suspicionem agitasse, q̄si semel p̄suasum habebāt, ip̄m q̄cunq; iniuria (q̄ iure nullo poterāt) se cōdemnaturus ad mortē, nō tm̄ p̄pter sabbatū, (ut ipsi putabant) ab eo uiolatū, sed q̄ dicebat patrē se habere deū, sicq; se similit̄ deo faciebat. Aliās etiā suā istam fucatā defensurā p̄bitatē, dicebāt ad illū: De bono ope nō lapidamus te, sed de blasphemia: & q̄ tu hō cū sis, facis te ip̄m deū. Veg; hic Ch̄rus scripturæ testimonio euicit, legi cōtrariū nō eē si Ch̄s sit fili⁹ dei, quis & ip̄e se Ch̄rus nō se cerit deum, sed deus à deo patre sit genitus ab æterno.

¶ Quid q̄ & hec ipsa accusatio nō caret uitio? Clamāt em̄ furiosi, filiū dei se fecit. Miracula aut̄ & opa stupēda, q̄ p̄ter deū alius nemo facere pōt, tacēt. Neq; hic Lazari meminerūt post quatrīduū resuscitati, neq; adolescētis in ciuitate Naim, neq; filiæ Iairi. O Iudēos iniquissimos, o uos furore & inuidia cæcos. Cur nihil ethnico hoī Pilato dicebatis de cæco nato, cui uisum ille restituerat? Et id tm̄ ipsi uidistis, neq; dū eius rei uos cepit obliuio. Cur hoīes insanissimī, nihil de mūdatis leprosis, nihil de loquētib⁹ mutis, atq; surdis audiētib⁹ Pilato gētili dixistis? an mis; uobis uidebat canes furiosi & rabidi, filiū dei noīare se, aut etiā esse, q̄ opa dei faciebat? Oīa hæc, q̄ uel in primis corā iudice gētili dicta oportuit, reticulistis: tm̄q; blateratis & uociferatis temere corā eo, q̄ & ip̄e hō miser, hoīes solūmodo uidebat, scripturæ oīm ignarus. Sic igit̄ corā multis iudicib⁹ plurimis instructi adusatiōibus Iudæi, in calūniā & ignominia rapere Ch̄m conabant, q̄ tm̄ oīs in p̄pria sua capita nō aliē recidit, q̄ sputa solēt istorū q̄ in cælū expuūt, publice totiesq; p̄testāte Pilato se nihil in eo uidere dignū morte, atq; ideo subinde interrogāte: Quid tādē mali fecit?

¶ Verū hic cōsidera obsecro, & diligētius paulo expēde, quomō Iudæis, cū putarēt hoc ip̄so se uehemēter uelle urgere Pilatū, ut illū occideret, reumq; mortis declararet, plane cōtrariū euenerit: factūq; sit, ut Pilatus rei magnitudine iam motus, atq; timore quodā perculsus, diligētī

Leuit. 24.

Johan. 5

Johan. 10.

Cyrillus.

Johan. 11.

Luce. 7

Matth. 9.

Johan. 9

Luce. 12.

217

Cyrillus.



inciperet inquirere, unde eēt. Nāq; & mihi propemodū ut-  
det, Pilatū eō peruenisse, ut suspicaret Christū dei filiū ali-  
quo mō eē potuisse. Sed quia errorib; gentiliū inuolutus,  
& fabulis istoz; persuasus, deos credebat eē multos & semi-  
deos nōnullos, ideo Christū flagris cædi permisit, nihilq;  
ille respōdere ei uoluit. Quinq; em̄ in passiōe interroga-  
tus, nō respōdit, sed tacuit semper. Hoc autē silentiū Chri-  
sti ut plurimū factū est, ne temere pphetia illa prædicta  
uideret: Sicut agnus corā tondente se obmutescet. Et me-  
rito quidē similitudo hæc ab agno translata est, ut ipse q; q;  
sicut agnus innocēs haberet, suoq; se silētio nō tñ declara-  
ret esse reum, ex puerbio uulgi, quia hic etiam innocens  
tacuit, ut sic impleret prophetia, ut doceret adesse iā passi-  
onis suæ tēpus, quo ille humanitatis suæ testaret & argue-  
ret infirmitatē, nō diuinitatis omnipotētā, adeo ut tunc  
Pilatus quoq; & Herodes & pōntifices omnes indigni erant,  
qui ueritatem ex Christo audirent.

Augustin.

4. ¶ Nolente iam respondere Christo, Pilatus timore  
quodā & inani fastu inflatus, Mihi, inquit, nō loqueris? An  
nescis quia potestātē habeo occidere te, & potestātē habeo  
dimittere te? Ecce qd tu Pilate loqueris? Nōne hoc uerbo  
te ipsum condemnas? Si em̄ in tua potestate est, quare in-  
fontē nō dimittis? Nonne dū Christū ignorātia accusas,  
nec te interim neq; Christū cognoscis, & insuper te ipsum  
condemnas: dicitq; poterat illud tibi ex parabola euāgeli-  
ca, Serue nequam, ex ore tuo te iudico. Sic iā audiēs Chri-  
stus Pilatū super se ipsum tulisse sententiā, inquit: Nō ha-  
beres potestātē in me ullā &c. Antea tacebat dominus ut  
agnus, nunc ut pastor docet, neq; tñ hic aliud dixit, q̄ qd  
post illū Paulus q; docuit, inquiēs omnē potestātē à deo  
esse. Dicere itaq; uoluit Christus, Potestātē tu quidē habes  
Pilate, sed nō ita, ut qd cūq; tibi libet, liceat etiā, cum & tu  
tuā illā potestātē habeas desuper à dño deo, cuius cōsensu  
filius dei patris ultro se tradidit in mortē. Vel etiam desu-  
per, quia à Cæsare. Deinde uero ostendit Christus Iudā &  
Iudæos maius habere peccatū q̄ Pilatū, qm̄ quod isti ex in-  
uidia, hic timore faceret. Ob hæc itaq; & alias prædictas cau-  
sas, quærebat Pilatus dimittere Christū. Videns utiq; qua  
erat prudētia uir, q̄ mature & cōstāter eēt ab ipso supatus,  
simulq; cōsiderabat, q̄tū peccaret, si cōdēnaret innocentē,

Chrysol.

Matth. 28

Augustin.

Roma. 13

Augustin.



**Cyillus.** ¶ Vidētes autē Iudæi se nihil proficere ijs quæ proposuerant, quod filiū dei se faceret ille, rursus ad priorē redeūt accusationē: & iudicē, quē filio dei ad sententiā condēnatoriā permouere nō poterant, nituntur imperio Cæsaris cogere ad id quod perebant. Plus em̄ ille metuebat Cæsarem, unde potestātē suā habebat, quā legē populi alieni. Et quod inde secutū est, nisi quia regē terræ ueritus, regē gloriæ cruci fixit: locumque sic dedit furori & inuidiæ eorū, nec puduit ipsum inconstantia suā & iniquitatis, sed testimonio quod subinde dedit innocentia Christi, suam ipse testat⁹ professusque est malignitatem.

**Theoph.** ¶ Sedit itaque Pilatus super tribunali, & dixit: Ecce regē uestrū. Magis ille mollis fuit & ambitiosus, quā asperis moribus, ut inquit Theophylactus. Neque tamē ijs uerbis Christum cōdemnat, neque Iudæos in publicā corā omnibus contumeliam uult rapere: sed latenter tamen exprobrat eis tanquam manifestis impostoribus, quod regē accusent qui diuitijs careat & seruis, qui magnificentia nullā, nullū ornatū, & insignia nulla habeat, nō coronā, nō sceptrū, nō purpurā, nō id genus aliud quicquam. Ut sic manifeste falsa fuerit ista eorum accusatio. Et adhuc tamen terrorē quē de Cæsare ingesserant, superare conat⁹, de ignominia eorū uolēs eos

**Augustin.** frangere, dicēdo: Regē uestrū crucifigā? quasi dicere uellet, Hic summus Iudaicę gentis contemptus futurus est, extremaque ignominia, regem illi propriū in crucē suffigi. Neque

**Cyillus.** ramen ijs moti Iudæi, pertinacius adhuc cœperunt urgere Pilatū & illi metū Cæsaris ingerere forti⁹, ex eo quod nolētib⁹ ipsis aliū propter Cæsarē habere regē, aperte contra Romanum Imperatorē facere uideretur, dū regē illū Iudæorum eis permittere uellet. deum immortalē, quid nō perfida audet istorum peruersitas? Deum qui eos genuit derelinquunt, creatoris sui obliuiscuntur, seque Romano subiiciunt imperio, sub cuius iugo etiam hodie sunt, quis inuiti. Et sic instabilis iste & iniquus iudex, dominum Iesum supplicio crucis adiudicauit, nō quidē ut illum crucifigerent Iudæi, quia potestātē eius rei nullam habebant, sed ut ad eorū nutū a suis seruis crucifigeretur. O inique comparatū iudiciū, o sententiā miserabilē, o uere animæ suæ salutis immemorem, adeoque penitus oblitum Pilatū. Oremus, Pater noster.

**Deut. 32**



# DE CRUCIFIXIONE,

TITVLO CRVCIS ET SORTITIONE uestimentorum Christi.

TEXTVS QVINTVS.

Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum. Matth. 27  
 Et baiulas sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Marc. 15  
 Caluariæ, locum, Hebraice autem Golgotha, ubi Luc. 23  
 crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc,  
 medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Matth. 27  
 Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scri Marc. 15  
 ptum: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc Luc. 23  
 ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia pro  
 pe ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et  
 erat scriptum Hebraice, Græce & Latine. Dice  
 bant ergo Pilato pontifices: Noli scribere, Rex  
 Iudæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudæo  
 rum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Matth. 27  
 Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt uesti Marc. 15  
 menta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique Luc. 23  
 militi partem & tunicam. Erat autem tunica in  
 consutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt  
 ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sorti  
 amur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur,  
 dicens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in ueste Psalm. 22  
 mea miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

¶ Acceperunt itaque dominum ministri præsidis. Quod Augustin.  
 tamē ad milites quoque referri potest, apparitores Cæsaribus:  
 quamuis euangelista etiam si totum Iudæis tribuit, merito  
 facit. ipsi enim susceperunt, quod audissime flagitauerunt:

ua iij



& ipsi fecerunt, quicquid ut fieret extorserunt. Et sic graui crucis pōdere pressus exiuit Christus, quod sane mœstum & miserabile fuit spectaculū, aspicerē illū sub mole crucis euntem: quod quisquis uidit malus, illi risus fuit: quisquis uero aspexit bonus, ei euidēs exiit tū significatio my-steriorum dei, tum suæ probatio fidei.

¶ Portauit ergo crucē Iesus primū, & deinde post eū Si-mō. sicq; ille passus & crucifixus ē extra muros ciuitatis, quē admodū ostēdit Paulus ad Hebræos: Quorū, inquiēs, ani-maliū inferit sanguis pro peccato in sancta per pōtificem, horū corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suū sanguinē populū, extra portā pas-sus ē. Et sic crucifixerūt eū in loco q̄ dicitur Golgatha (sic ha-bet exēplar Vaticanū Græce & Latine, ideo nō cura q̄ grā-maticū ex solis cōiecturis cōtēdūt Golgatha legēdū) Qui-dam dicūt (autore Chrysofostomo) crucē Christi fixā esse, ubi Adā & mortuus fuerat & sepultus: ut ubi mors domina-ta erat, ibi rursus erigeret trophæū, quod tulit ille contra mortis tyrannidē. Theophylactus, Postq̄, inquit, eiectus fuit homo ex paradiso, domiciliū ibi habuit in solatium bonorū, quæ in paradiso amiserat. Data ei terra illa, quæ omniū aliarū & optima esset & pinguiſſima. Homines igi-tur qui tūc habuerūt pro miraculo mortui caluariā depilatā, in loco illo habitātes, inde eū nominauerūt. Et post dilu-uium fama hæc à Noë in omnes diuulgata est.

¶ Vnde & dominus ubi fons mortis, illic moriē, ut eū sic-cet. Pulchra hæc sane, & ut ait Hieronymus, fauorabilis ē interpretatio, plurimum mulcens aurē populi, nec tamen uera, quia Adā inter Hebron & Arbec sepultus est, qui lo-cus à Ierusalē octo distat miliaribus. Quamuis eo ipso dif-folui potest, q̄ in Hebræo Adā nō primum tantū parentē nostrū, sed etiā quēuis hominē designat. Mitto tamē hoc quicquid est. Sed si sanguis Christi ex cruce stillasset uel in minima gutta super corpus Adæ, nōne mirabilis illa fu-isset dei ordinatio & prouidētia?

¶ Crucifixus itaq; in eo loco dominus, pro nobis factus est maledictio, secundū quod in lege scriptum erat: Male-dictus qui pender in ligno. Atqui non ille, sed nos male-dicti eramus, & uincti sub peccato. quia maledictus, dicit deus, qui nō permanet in sermonibus legis huius, nec eos

Sala. 3

Deut. 27

Deut. 27



ope perficit. Sic igitur dñs noster Iesus Christus pro nobis, nec quicq̄ pro seipso, sed pro peccatis nostris crucifixus est, & quidē medius inter duos latrones, ob maiorē illius ignominiā, sicut p̄dixerat Isaias: q̄a cū iniquis deputatus est. Idq̄ totum dæmonis instinctu factū est, qui gloriam Christi occultare conabatur, ne manifestaretur, dū ille latronibus iunctus penderet ex cruce. Vex̄ conari licebat, penitus occultare non licebat. Quia crucifixi sunt tres, & tamē claruit unus Iesus, ut intelligas eius uirtute omnia prouenisse, atq̄ tribus crucifixis miracula patuerunt: nemo tamen ullum alteri latronum attribuit, sed soli Iesu, ait Chrysostr. ita diaboli insidiæ irritæ factæ, in eius caput omnino irruerūt, nam & ex duobus unus saluus factus est. Non solum igitur crucifixi gloriam nō offendit, sed non parum auxit, neq̄ enim minus fuit, in cruce latronem conuerti & paradysum intrare, quā petras collidi. Cyrillus uult hic argumētum & signum esse exhibitum, quomodo populi duo Iudæorum & gentium in ecclesiæ unitatem essent peruerturi. Plane hic forma quædam ostēsa est iudicij extremi, in quo mali stabunt à sinistra cum latrone peruerso, cum bono autē boni & electi ad dextrā.

2. ¶ Scripsit autem & titulum Pilatus, secundum consuetudinem Romanorum, qui solebant in schedis mortis causam super damnatos scribere, sicut etiamnum in Italia malefactoribus pilei imponuntur ex papyro confuti, in quibus pingi siue describi solet causa mortis eorū. Titulum ergo Christo scripsit Pilatus: Iesus Nazarenus rex Iudæorū, uolens sic excusare Christū, simulq̄ se de Iudæorum uesania ulcisci. Credibile tamē est, sp̄m sanctū id ira uoluisse, atq̄ adeo titulū hunc inspirasse Pilato. Quam ob rem & Chrysostr. nō paruā in hoc dispensationē esse dicit, quæ hinc pendet. Cū enim postmodū defossum esset lignū crucis, cōtigit ut diu post perquireretur: & cū tres cruces inuentæ essent, par est, ut & quia media erat, & p̄pter titulum domini crucem agnitam. Nam latronū cruces titulum istum non habebant.

¶ Titulus hic porro peccati chirographum deleuit, q̄d iam olim diabolus conscripserat aduersus genus hūanum maledictionē, s. imminentē ijs, qui legē diuinā transgredierentur. eā q̄ hoc titulo extinxit Christ⁹, iuxta illud Pau



- Coloss. 2.** li: Donauit nobis oīa delicta, delēs qđ aduersus nōs erat chirographū decreti, qđ erat cōtrariū nobis, & ipsum tulit de medio, affigēs illud cruci: ut iā ampli⁹ non domines hoībus diabol⁹, sed Christ⁹ ille Iesus rex sit Iudæorū, hoc est, eorū qui firmiter credentes in illū, cōfitentur eundē.
- ¶ Tabula, cui titulus adfixus est, ex oliua fuit cōfecta, & adhuc seruetur Romæ ad S. Crucem, sicut & ipse uidit. estq; titulus non primis tantum quatuor elementis consignatus, quemadmodū a nonnullis depingitur, sed per singulas literas ad longum descriptus, ita ut bona illarū pars adhuc accurate cerni queat & dignosci. Scriptus est
- Augustin.** autem Hebraice, Græce & Latine. Hebraice quidē, ut inquit Augustinus, propter Iudæos qui gloriabant sibi datam esse legem diuinā. Græce, ob sapientiam Græcorum. Latine uero propter Romanos, q̄rum tunc potestas late per totum orbem patebat ubiq;. Significatumq; per hoc est, quia deuoti, sapientes & potentes uenturi essent ad cōfessionem fidei Christianæ. Sunt qui exponentes hoc referant ad tres partes mundi, Africam, Asiam & Europam. Sed molestum erat Iudæis, titulum hunc uel aspice re tantum: ideoq; uolebant, tantumq; non cogebant Pilatum alium titulū scribere. Verum ijs renuebat, Quod scripsi, inquit, scripsi. Ibi Cyrillus ait: Diuinitus (ut ego pu to) factum est, ut trium linguarū, quæ præcipue sunt, literis titulus scriptus fuerit, qui illū non Iudæorū tantum, sed omnium quotquot in mundo sunt, regnorum regē ostenderet. O igitur ineffabilem uim diuinæ operationis etiam in cordibus ignorantium. Nonne occulta uox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod ante in Psalmorum literis prophetatū est, Ne corrumpas tituli inscriptionem? Quamuis non Iudæorum tantum, ut titulus præ se fert, & gentium omnium rex ille fuit, secundum quod pater æternus dixit ad eū: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. &c.
- Psalm. 2.** Atq; ideo in hoc titulo, nomine Iudæorum, rotum accipiendum est semen Abrahæ filij promissionis, filij dei. Et sic quoq; Christus Iudæorū rex erat, meritoq; inscribentur qui circumcisi erant spiritu & cordibus, nō secundum literam. Sic etiā Pilatus titulū noluit immutare, siquidē non
- Cyillus.** fuit sibi diuinitus permissum, aduersus saluatoris gloriā su



rere, sed sicut titulus hic inuolabilis tunc erat, & permansit sine mutatioe, ita manebit in aeternum. Titulum hunc semper in cordibus nostris circumferre debemus contra mortem, diabolum, inferos & omnes aduersitates nostras. Multa de eo dici possent adhuc, sed mitto contentus his quae superius enarrauimus.

3. ¶ Eo usque autem Iudaeorum seruorumque Pilati furor increuit, ut iam nudo pendente in cruce Christo, ne uestibus quidem illius parceret, sed pro tunica eius fors mitteret. Unde principio patet, quatuor fuisse qui Christum crucifixerunt, eo quod Iohannes refert, tunica Christi in partes quatuor diuisa, cuique cessisse partem. Sunt hic quidam qui putant singulos illos partem habuisse & tunicam. uerum hoc non placet Augustino. alias enim oporteret Christum plures quam quatuor tunicas habuisse, quod tamen & cogitatu & creditu facile non est, eum qui in omnibus modestiam obseruauit, nimio uestium apparatu se obruisse. Atque ideo ille uerba haec Iohannis sic intelligenda esse se putat, quod quilibet seruorum partem habuerit ex uestimento Christi & tunicam istam. scilicet inconsutilem, desuper contextam per totum, pro qua & sortiri sunt, sicut proprie David in Psalmis fore praedixit: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. (ecce hic sortem super uestem) Quodque caeteri euangelistae in commune scripserunt, id ipsum Iohannes paulo manifestius expressit. Nam cum Marcus ait, eos sortem misisse quid quisque caperet, suspicari quis posset ipsos super omnibus Christi uestibus esse sortitos. Quod praecauere uolens Iohannes, clare docet & ostendit quod nam diuiserint, quid in sortem proposuerint: unde tandem patuit, quid cuique sortito contingeret.

¶ Chrysostomus hinc apparere dicit uestimentorum Christi utilitatem. siquidem in Palaestina ex duobus pannis uestes contextunt. Post eum Theophylactus id ipsum quoque testatur, addens ibidem esse moris, ut pauperes gerant uestes duplo contextas, per totum filis undique insertis, sicuti nostrates stragulis utuntur in mari Anglico. Sed quod dicunt quodam tunicam hanc cum Christo adcreuisse simul ex teneris annis, primum quidem est & creditu facile, sed id tamen non memini me in quocumque scriptore inuenisse. Traesco igitur. Et quia contexta fuit per totum, B. Augustinus exponit id quoque temere factum non esse, quoniam si finis non deforis apparuerit ullus, sed intus fuerit intextus, ne scilicet in modico scissa disueretur tota. Sic in lege praecipit deus

Augustinus

psalm. 21

Chrysost.

Theophyl.

Augu. qu. 118. super Exod.



**Exodi. 28** Moyſi, ut Aaroni pararet tunicam ex Serico, eodem quoque modo per totum contextam, fuiſſe autem tunicam hanc Chriſti non adeo precioſam, uel hoc arguit, q̄ idem **Matth. 11.** in Iohanne etiam ueſtitus commendauit tenuitatem.

4. ¶ Cæterum quando regula beati Auguſtini docet **Regula** malefacta etiã impiorũ non carere myſterio & ſignifica-  
**Auguſtin.** tione magna, atq; ideo à nobis Chriſtianis ad gloriã dei, honoremq; ſanctorum uertenda ea & exponenda eſſe: o- peræ præcium fuerit, nos etiã hoc ſeruorum impiũ ſane & abominabile factũ, quid ſibi uelit myſtice, paulo diligen- tius inueſtigare. Et principio quidẽ diſcamus nos hinc ſan- ctorum ueſtes & id genus reliquias omnes, nõ habere cõ- temptui, ſed pie & candide etiã alijs impartiri, ut ſic in plu- ribus locis cult⁹ & honor dei incrementũ acgrat. Quodq; **Reliquiæ** ſatrapæ iſti Chriſto fecerunt in ignominiã, nos illi uiciſ- ſim uertamus in gloriã. Quæ ſane tum radix, tum cauſa ex multis potiſſima eſt, cur reliquiæ Chriſti & ſanctorũ in tot loca diſperſæ undiq; ſint & diſſeminatæ. Quadripartita, inquit Auguſtinus, ueſtis domini Ieſu Chriſti, quadri- partitam figurauit eius eccleſiã, toto terrarũ orbe (qui q̄- tuor partibus conſtat) diſfuſam. Quapropter & Chriſtus **Auguſtin.** dixit ſe miſſurum angelos ſuos, qui congregent electos ſuos à q̄tuor uentis terræ. Tunica porro illa inconſutilis, ec- **Cyillus.** **Matth. 24** cleſiæ catholicæ unitatem figurabat, quæ etiãnum colle- cta in ſpiritu ſancto dei, unitur uinculo fidei & charitatis: quæ quia & ſuperior eſt ſcientia, & mandata omnia ſu- perat, merito in ueſte de ſuper tota contexta repræſenta- tur. Et ea inconſutilis q̄q; fuit, ut eccleſiam quã figurabat, diſſui & ſcindi non debere doceret. Væ uæ ijs, qui temere eccleſiaſticam diſſipant unitatẽ, ut ueteres & recentiores hæretici omnes faciunt. Vna, inquit ſpūs ſanctus, eſt colū- ba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Sic etiam Paulus dicit, Solliciti ſeruare unitatem fidei in uinculo pacis. Vnũ corpus, unus ſpūs, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ. Vnus dominus, una fides, unum baptiſma, un⁹ deus & pater omniũ, qui eſt ſuper omnes. Quæ utinam Pauli uerba omnes uere attenderent & obſerua- rent, neq; leuiter adeo ſe ſepararent ab eccleſiaſtica unitate. Vere enim illa arca dei eſt, extra quã nemo ſaluabitur. Rectius itaq; ſecum deliberent neochriſtiani,

**Ephē. 3**  
**Coloſ. 3**

**Canti. 6**

**Ephē. 4**

**1. Petri. 3**



neq; adeo temere pacem & concordiam ecclesie scindant ne grauius offendant Christum quam serui isti, qui cum Christum crucifixissent, tunicae tamen illi<sup>9</sup> pepercerunt neq; dissuerunt eam. Sic quisquis non in tota est ecclesia, nullam salutis spem habet reliquam. Sic Petrus claues a Christo accepit pro conseruanda ecclesie unitate, unus pro omnibus utiq; & unitas est in omnibus. Hieronymus hoc ipsum quoq; exponens, refert ad mandata dei: quib<sup>9</sup> corpus Christi ecclesia tegitur & uestitur. Quatuor tunicae partes, quatuor sunt ordines siue status ecclesie, coniugati, uiduæ, prælati & separati, hoc est, presbyteri & religiosi.

¶ Sunt qui referant quatuor hos seruos ad quatuor mundi plagas, quarum peccata Christum crucifixerunt. Quatuor autem uestimenti partes, significant quatuor euangelia. Tunica inconsutilis unica, unum illum designat spirituale, abditum & mysticum scripturae sensum, qui ab ipso tam inde principio suo ad finem usq; undiq; iuxta diuinus, rite cõtextus est, nec quicquam habet aliunde insurum.

Hiero. sup  
Marcum.

¶ Quorsum hæc tam coacta? inquires. Aut quo tandem modo persuaderi potest, ut malefici isti suo exemplo, tam sublimia expresserint & repræsentarint mysteria? Audi tu quisquis sic cogitas! quamuis enim mali fuerint isti, factum tamen eorum bonum quiddam significat. Sic quis illam, in quam suffixus Christus est, crucem construxit? ex pessimis utiq; selectissimis. & illa tamen significationem magnorum mysteriorum habet profundissimam. Id ipsum magni secretiq; mysterij loco Paulus etiam habens, scribit ad Ephesios: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Quid autem est illius latitudo, nisi opera bona in latitudine charitatis? Quid uero longitudo, q̄ perseverantia in diuturnitate temporis? Quid altitudo, nisi conuersatio cælestis, quò tendimus omnes? Quid uero profundum, nisi gratia dei, ex cuius arcanis & occultis iudicijs proueniunt omnia? Sic crux quamuis a pessimis hominibus præparata, omnium tamen bonorum nobis fons est & origo; nec quicq; illi decedit bonitatis, licet ab impijs atq; inimicis Christo sit facta & impacta.

Augustin.

Ephes. 3

Certe enim hoc illud signum est, quod nisi adhibeatur si Augustin.



ue frontibus credentiū, siue ipsi aquæ q̄ regenerant, siue oleo q̄ chrismate unguunt, siue sacrificio q̄ alunt, nihil eorū rite pficitur. Audiāt & auscultēt hæc Augustini yba neochristiani pfidi, q̄ crucis usum in baptismo, cōfirmatiōne & sanctissimo missæ sacrificio auersant: recusantes accipere quicquam, quod non ad literam in scripturis cōtinetur, atq; ideo se signo crucis consignare nolunt. Deus tamē eos quoq; per gratiā suā illustrare dignetur, & reuocare ad uerā sacrosanctæ fidei nostræ cognitionē. Amen.

OREMVS.

DE IIS QVÆ CIRCA MORTEM  
*Christi contigere.*

TEXTVS VI. ET VLTIMVS.

Stabāt autē iuxta crucē Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus matrem & discipulū astantem quē diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce fili⁹ tuus. deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suā. Postea sciens Iesus quia iā omnia consummata sunt, ut consummaret scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi uero spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetū, dixit: Cōsummatū est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Iudæi ergo quoniā parasceue erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati, rogauerunt Pilatū, ut frangerentur eorū crura & tollerētur. Venerūt ergo milites, & primi quidē fregerunt crura, & alterius qui crucifixus

Matth. 27  
Marci. 15  
Lucę. 23

Matth. 27  
Marci. 15  
Lucę. 23



est cū eo. Ad Iesum autē cum uenissent, ut uiderūt eum iā mortuum, nō fregerūt eius crura: sed unus militum lancea latus eius aperuit, & cōtinuo exiuit sanguis & aqua. Et qui uidit, testimoniū perhibuit, & uerum est testimoniū eius. Et ille scit quia uera dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hęc, ut scriptura impleretur: Os nō cōmīnuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: *Vide bunt in quem transfixerunt.* Exodi. 12.  
Nume. 9.  
Zach. 12.

¶ Ecce rursus alium ex alio dolorem Christi hic Iohannes adgreditur recensere. Quomodo ille post alapas, uincula, spura, flagra, spinas, crucem, clauos & innumera conuicia matrē dolētissimā, cōspicatus adhuc est, cuius pectus gladio doloris transfossum, uiscera illi intima cōmouit. Vere em̄ hic imbecillior sexus fortior apparuit. Quāuis hic quoq; tenerrima uirgo tantis cōfecta doloribus, etiā stare nō potuisset, nisi tū floribus uirtutū ornatissimis, tū uirtute gratiæ diuinæ suffulta fuisset, sicut & ipsa in Canticis dicit, Fulcite me floribus. Cæteræ hic quoq; stabāt mulieres & flebāt. facile nāq; ad lachrymarū flumina gen̄ est mulierū, p̄sertim si magna causa mouet. Atq; hoc mō euāgelista atrocitatē passiōis dñicæ exprimere uoluit, dū ait matrē q̄q; piētissimā cruce filij ignominiosa, crebro Judæorū contēptu, ludibriosa seruoꝝ, p̄ uestibus sorte, eorundēq; puicacia cōtinua morā, hic demū se sensisse gladiū, quē ei Simeon iustus p̄dixerat, ingens: Et tuam ipsius animā pertransibit gladius doloris. O gladiū uere acutū, imensam istam doloris acerbiter. Ecce iam tandem reuelatæ sunt cogitatiōes ex cordibus multoꝝ, quando discipuli etiam offensi fuerūt à Christo. O Maria uirgo sanctissima, in quanto gaudio, quanta lætitia & exultatione filium illum tuum genueras? Sed quicquid tunc doloris & tristitiæ tibi defuit, ita disponente deo, nōne abunde hic tibi pensatum est? Dixit autē Christus matri suæ: Mulier, ecce filius tuus, Iohannem significans, qui porro Mariæ filij loco futurus erat, idq; a deo de se ipse Iohannes p̄ circūstantias ostendit, Christū illum intellexisse discipulū Chrylost.  
Cant. 2  
Cyrillus  
Luce. 1  
Luce. 20



- quem diligebat. Quamuis enim in uniuersum omnes diligebat discipulos, hunc tamē præ cæteris magis amabat, adeo ut illū pectori suo indormire sineret. Credo, inquit
- Augustin.** S. Augustinus, ut istius euangelij, quod per eū fuerat predicaturus, diuinam excellentiam hoc modo alius cōmēdaret. Sensus igitur uerbi illius dominici est, Mater mea charissima, in teneris quidem annis à proprijs suis defensa est parentibus, in iuuentute à nutritio meo Ioseph, post eum ipse curam illius suscepi: nunc uero ipse quoque moriturus, tibi ipsam commendo committoque Iohannes. Et hic quidem immensam charitatem ostendit, commendans eam discipulo quem diligebat, & non paruo honore ijs uerbis eum afficiebat. O honorem quem discipulo tribuit, ut illum fratrem suum faceret, dum ei Mariam matris loco commendat, usque adeo bonum & salutare est manere cum domino Iesu. Docere tamen eo ipso nos quoque uoluit, ut alijs plerisque, dominus, dum quod faciendum admonet, ipse facit. suo namque hic exemplo ministros instruit præceptor bonus, ut à filijs pijs impēdatur cura parentibus: tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Magnū quid est, cum matri prouidit suæ, quasi parum de magnitudine doloris curaret, Iohannem uoluit illi ministerium & officium filij exhibere, uicissim quoque illam habere autoritatē maternam in Iohannē, ut sic charitate mutua deuincirentur, non minus quam si naturali uinculo coniungerētur. Quis autem dubitet Iohannem deinceps ex commissione optimi magistri, Mariam dilexisse amore & affectu uero filij in matrem?
- ¶ At hinc didicit Paulus illud quod dixit: Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Hoc illud etiā est, quod iā olim in lege præceperat deus, lapidandos esse irreuerētes erga parentes suos, non aliter atque blasphemos in deum. Quilibet hic Christianus recogitet, quomodo dominus noster Iesus Christus in cruce pendens inter acerbissimos dolores, omnia tamen sine perturbatione fecit mentis suæ. Ecce enim matrem dilectō commendat discipulo. prophetias implet dū consummentur omnia. latroni paradysum promittit. pro crucifigentibus orat. spiritum quoque suū in pa-
- 1. Tim. 5**  
**Exodi. 21.**  
**Leuit. 24.**



ternas manus commendat. Prius autem quam crucifigere tur, sudauit, turbatus & contristatus est, timuit, ut imbecillitatem susceptæ naturæ declararet, uerum hic iam in eo uirtus patuit diuina. Suscepit ergo illam discipulus in sua, hoc est, in curâ suâ, sicq; deinceps de omnibus ei prouidit.

II ¶ Dixit iterum dominus, Sitio. Ecce hic homo apparebat, qui deus latebat: & idē ipse disponebat hæc omnia, quæ patiebarur. Videns itaq; omnia consummata iam eē præter potationem, ut hic quoq; scripturæ implerentur, dixit: Sitio, quasi diceret, Vnum hoc est quod nondum fecistis, date mihi bibere, sed hoc ipm qd uos estis. Quid aut iam Iudæi facti erant: acetum in sapidum, eo quod declinauerant defecerantq; à sapido illo uino patriarcharū & prophetarum. Restabat enim hoc, ut scriptura hæc etiam im-

Augustin.

Psalm. 62.

pleretur, In siti mea potauerunt me aceto.

Naturale porro erat, ut iam dominus sitiret. siquidē multum possunt dolores ad commouendam sitim. Innatum enim calorem exagitant, quod in profunditate humidū est, consumunt, & igneis ardoribus dolentis uiscera urūt.

Cyllus.

Accepto ergo in spongiam aceto, hyssopo circumponēbāt, & sic domino porrigēbāt, ut dolorem illi grauiorem incuterent. Sed ubiq; interim hic adnititur Christus, no-

Chrysol.

uam hanc mortem fuisse, siquidem in potestate morientis erat, ne priusquam ipse uellet & omnia impleta essent, moreretur. Atqui tu hic malignitatem considera seruorum, nos etenim etiam cōdolemus, dū tot hostes & inimicos nostros uidemus interfici: isti uero neq; dum pœnis & supplicijs satiari potuere: acetum insuper domino porrigūt, ut illudant magis, & ne quid acerbitati doloris desit, & potus amaritudini, etiam hyssopum circumligant, ut potionem lætalem efficerent, quemadmodum ait Theophylactus.

Obijcies autem ex Marco, quoniam dicit uinum accepisse eos, Iohannes acetum, Mathæus & Marcus meminerunt arundinis, Iohannes hyssopi tantum. Ad hæc facile respō-

Theoph.

deri potest, & dici ea omnia esse facta, quamuis non item ab uno euangelista descripta. Primum enim uinum ei ob-

Matth. 27.

tulerunt cum felle & myrrha permixtum, ut impleretur prophetia Ieremiæ. Quod quidam factum esse perhibent

Thren. 3.

in loco caluarie, priusquam crucifigerent illū. Multo autē



**Psalm. 68.** post contigit illa poratio cum aceto, ut consummaretur illud qd prädixerat David. Idq; designare uolentes Matthæus & Marcus, uini & aceti mentionem tatum fecere. ¶ Iohannes itaq; uidens reliquos arundinis meminisse, ipse de ea uerbum nullum addidit. Christus tamen acetum accepit quidem, hoc est, gustauit, sed non bibit. Et cū plures fuerint serui iniquitatis, quisq; pro se aliquid commērus est, quo dominum præ cæteris magis offenderet. Pulchrum est quod hic Bernardus, pater, si quisquam alius, in meditatione certe feruentissimus, contemplatur: Domine, inquit, quid est quod sitis? Nonne te sitis ista magis, quā crux ipsa excruciat? De cruce taces, ex siti clamas. Quæ igitur sitis illa? nonne sitiebas salutem hominum, salutem animarum nostrarum, gaudiū nostrum?

¶ Deinceps iterum ait dominus: Consummatum est, scilicet ipso facto & opere, quod antea erat in prophetia. **Cyillus.** Cyrillus uerbum hoc ad passionem Christi refert, siquidem omnis iste tumultuātium Iudæorum furor, qui seruebat in passione Christi, iam in morte eiusdem desijt. Tu igitur homo Christiane sic tecum cogita: Consummatæ sunt omnes prophetiæ de Christo, consummatum est & ipsum testamentum uetus totum, nouum nunc nobis nascitur testamentum. Christus etiam quasi hoc ipsum sic tecū dicere uisus est: Consummatum est supplicium meum, opus redemptionis generis humani, cuius gratia è summo caelo descenderam natus homo: id quoq; iam consummatū est, id ipsum ego illi iam peractum offero in diuinas manus. Sic Paulus: Decebat, inquit, eū propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum, per passionem consummari.

¶ Sequitur: Et inclinato capite, emisit spiritum. Nota hic, quia spiritum emisit, uolens ostendere quia potestatem habeat ipse ponere animam suam, & eandem rursus adsumere. Quis enim ira dormit, quando uoluerit, sicut Iesus mortuus est, quando uoluit? quis ita uestem deponit quando uoluerit, sicut se carne exiit quando uoluit? atq; ideo inclinato prius capite, tunc demum mortuus est, cū tamē cæteri homines iam demortui capita sua demittāt.

**Heb. 9.** Cum ualido etiam clamore, cum lachrymis & oratione.

**Bernar.**

**Cyillus.**

**Consummatū est.**

**Heb. 1**

**Iohan. 10.**

**Augustin.**

**Heb. 9.**



spiritum emisit, qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; cū lachrymis obtulit deo (uide in prima passiōe) Articulo  
7. puncto  
2.

¶ Rogauerunt autem Iudæi Pilatū, ut frangerentur eorum crura, neq; sic corpora manerent in sabbato. erat enim dies parasceues, sicuti tunc diem sabbati sanctius strictiusq; multo obseruabant, & etiam nunc colunt quā nos Christiani diem dominicum nostrum, quando iā eō deuenerunt festiuitates nostræ, ut pro ihs alex, cōuiuia & ebrietates colantur. Quamuis tunc quoq; eo ipso excusati non fuerint Iudæi: siquidem fucum tantū & prætextū pietatis præ se ferebant, cæterum à uero dei cultu & timore alienissimi. quomodo em̄ legem domini seruauerint, qui legislatorem occiderant? Habebant eius rei expressum & apertissimum mandatum in lege, ne quenquam p noctem sinerēt in cruce pendere, quia sic lex habet: Deut. 21 Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiu dicatus morti adpensus fuerit in patibulo, non permabit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur. Sic ex præcepto dei cogebantur crucifixos eodem die sepelire. & quia erant interdum, qui aliquādiu poterant in cruce pendentes uiuere, sicut apud nos ihs contingit non raro, qui rotis imponuntur, uel in palum suffiguntur, crura eorum frangebantur, ut sic celerius morerentur.

¶ Nec est, quod nostrates principes & præfectos urbibus magistratus calumnieris, quod in patibulum suspensos non statim deponi sinunt, sed quā possunt diutissime in illo pendere: neq; enim in eo peccant, quia lex Moisaica in iudicialibus nos Christianos non ligat. Sic multæ sunt causæ, cur aliquis sepultura careat, puta qui tempore paschali non confitetur, qui imperatoriam maiestatem offendit: huiusmodi namq; exempla fiunt causa reipublicæ in terrorem aliorum, ne & ipsi delinquant similiter. Quid quod iura etiam ciuilia iubent, latrones famosos eodem quo latrocinati sunt loco occidi? Taceo Ieremiam, q L. capira.  
famosos  
ff. de poen.  
Jeremi. 16 quo horrore prædicti impijs iudicia durissima, dicēs: Mortibus ægroratorum morientē, nō plangentur & nō sepelietur, in sterquiliniū sup faciē terræ erūt. Atq; ideo odio scelesti, in exemplum malorū, & amore reipub. bene faci-



unt tum principes, tum primores ciuitatum, dum maleficos & sceleratos insepultos sinunt in patibulis, rotis seu portis ciuitatum pendere.

4. ¶ Fractis iam duorum latronum cruribus, cum uiderent ministri iam mortuum esse Christum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, atque id sane uulnus etsi non senserit Christus, quia iam mortuus, dici tamen non potest, quod acriter penetrauerit pectus & animam Mariam.

**Augustin.** Vigilanti autem, inquit Augustinus, uerbo euangelista usus est: ut non diceret, latus eius percussit aut uulnerauit, sed aperuit, ut illic quodammodo uitae ostium panderet, unde sacramenta ecclesiae manauerunt, sine quibus ad uitam quae uere uita est, non intrat. Idcirco adeo iam olim praefiguratum erat in eo quod

**Gene. 6**

**Gene. 2.**

dominus praecipit Noe, ut in latere arcae foramen pararet patentius: quo animalia quae diluuii interitum effugere deberent, ingrederentur. Et sicut Eua uiuentium mater, est dormientis Adae latere est desumpta, ita plane soporato iam Ada caelesti in ara crucis, capite inclinato, sponsa illius ecclesia catholica mater fidelium, sumpta est ex eius latere.

**Cyillus.**

**Chrysof.**

¶ At hic alij aliter sentiunt. Cyrillus quidem fecisse hoc ipsum putat militem, ut experiretur an iam mortuus esset Christus. Chrysostomus autem illud ab eo factum existimat, ut per hoc placeret iudaeis. Deinde homines pios admonet diligenter simul & docet, quid nam contemplari debeant circa hoc, quod ex latere Christi sanguis fluxit & aqua: quoniam hac ipsa baptizamur, illo autem potamur. Unde quod ex calice communicant de sanguine Christi, pari reuerentia accedant, ac si ex ipso latere Christi sugerent uiuum & calentem sanguinem.

**Armenij.**

**Cypria.**

Theophylactus etiam, sanguinem, inquit, ex mortuo corpore prodixisse, admirabile est, atque ideo Armenios reprehendit, qui non miscent in calice uinum aqua, cum tamen ex latere Christi aqua cum sanguine fluxerit. Qua de re multa habet Cyprianus, ego ijs supersedeo libens. Tantum te, pie lector, admonitum hic uolo, ut neochristianorum obserues conatum impium insanumque errorem, quia & ipsi in eadem haereseos nauicula cum Armenijs sedent, non attendentes articulum istum ante tot annos ab ecclesia reiectum, explosum, damnatum. Longinus ille (hoc enim ei nomen erat) intellexit utique istud, quicquid erat, miraculum certe naturam exce-



dere: ideoq; credidit in Christū, & ab apostolis edoct<sup>9</sup> my-  
 steria fidei, tādē in Cæsareā Cappadocia, supplicia & mor-  
 tem pro cōfessione nominis Christi cōstāter passus est:  
 cuius etiānum festus dies in ecclesia celebratur 15. Mar-  
 tij. Sunt ex grāmaticis theologis quidam, qui hoc mul-  
 tis modis irrident, & nescio quodnam Ionchi somniāt. Ve-  
 rum ego multo plus sanctæ & catholicæ tribuo ecclesiæ,  
 quā pridianis istorū somnijs, qui uix hodie aut heri na-  
 ti ipsi, alia ex alijs nobis obtrudere conantur commenta.  
 Equidem sane cur nō magis Augustino crederem, qui ur-  
 erat ecclesiæ martyrum proximus, eundem quoq; Longi-  
 num appellat, sic dicens: Clauī & lancea clamant mihi, q  
 uere reconciliatus sum Christo, si eum uere amauero. Lō-  
 ginus aperuit mihi latus Christi lācea, & ego intraui, ibiq;  
 requiesco securus.

Nulla.

Augu. in  
manuali  
ca. 23.

¶ Idipsum porro miraculum tantum, Iohannes quoq;  
 triplici confirmat testimonio: suo ipsius, quoniam hoc uī-  
 derit: deinde Moysis, qui à deo iussus, præceperit ossa agni  
 paschalis frangi, cōminuīq; non debere, atq; ideo in Chri-  
 sto etiam uero agno seruari hoc conueniebat: postremo  
 Zachariæ, qui & ipse p̄dixerat, Videbūt in quē pupugerūt.

Exodi. 12.  
Zach. 12.

¶ Age nunc Christiane homo, erige animi tui adfectū,  
 & contemplare passionem pariter & mortem domini no-  
 stri Iesu Christi, quomodo tristatus ille est & conturba-  
 tus in mortem usq;. Quomodo præ angustia sudorē san-  
 guineum sudauit, quod omnibus retro seculis inauditum  
 fuerat. Meditare deinceps quibus tumultibus, insultibus &  
 clamoribus irruerint in illum iam orantem Iudæi cum ar-  
 mis, lanceis, clauis, facibus atq; lucernis. Porro ob oculos  
 animi tui tibi p̄pone, quomō ille à proprio discipulo uē-  
 ditus, traditus, & ad extremū osculo sit proditus: statimq;  
 uasto imperu captus, ligatus, huc illuc detrusus, & tandē  
 ad Annam sic raptus, adcusatus ibidem & alapis durissime  
 cæsus. Mox ab Anna ad Caiphā pari uolētia attractus,  
 à falsis testibus iniquissime adcusatus, & pro blasphemo  
 morā adiudicatus, nocte tora illusus, consputus, facie ue-  
 latus, & ridicule de prophetia inquisitus, à quonam cæsus  
 esset.

¶ Recogita hic quoq;, nec de cætero unquam uide obli-



uiscaris anima fidelis, quomodo deus idēq; creator & redemptor tuus, summo mane ex ædibus Caiphæ ad Pilatū abducitur coram omni populo, & ibidē aduersus statim ad Herodem pertransiit: ubi quoq; æterna illa summi dei sapientia pro fatuo reputatur: rursusq; ad Pilatum adductus, denuo durissime & sine omni commiseratione flagris cæditur, spinis acutissimis coronatur, ut iam nullus pateret toto corpore locus, qui non uulneratus & apertus sanctissimo sanguine manaret. Neq; hic aliquis tamen modus fuit, insuper adhuc sanguine madēs, toti ostensus populo est, multisq; modis aduersus, & ad extremum à Pilato iniquissime condemnatus ad mortem ac supplicium crucis. Sic itaq; defatigatus & totus lassus, continuisq; pœnis emaceratus, sub graui crucis mole rādem exiuit, quamuis in itinere non semel deficientibus uiribus lapsus sit. & cū in caluariæ locum peruenisset, uestibus suis exutus, clauis cruci affixus, & in ea pendens, à militibus & seruis Pilati derisus, subsannatus à Iudæis, felle & aceto potatus. Accedit ijs omnibus sanctæ meditationis partibus, quomodo ille alterius quoq; latronis calumniam perpeffus, & aspectu dolentissimæ matris est perturbatus, tandemq; inter acerbissimos dolores cū clamore & lachrymis spiritū suum in paternas manus commendauit. Post mortē quoq; latus eius sanctissimum lancea apertum est, sanguineq; simul manauit & aqua in ablutionē animarū à peccatis. Merito igitur illum laudamus, benedicimus & glorificamus, inuocātes eum uoce, corde & animo in secula seculorum.

P I A E T S A N C T A

*precatio.*

¶ O gloriosissime, benedicte & misericordissime domine Iesu Christe, per sudorem sanguineum tuum, per uincula tua, illusionem, flagella, coronam, iniquam condemnationem, per illam quæ te suscepit clauis affixum, crucem sanctissimam, per sitim quam in cruce pro animarum nostrarum salute sustinuisti, per mortem denique tuam amarissimam, propicius & misericors nobis esse dignare,



vincula quoque nostra dirumpe, peccatorum nostrorum  
 flagra, ipsamq; adeo pro eis debitam pœnam adime, ut tan-  
 dem læti & alacres appareamus in cōspectu tuo, tecumq;  
 & cum omnibus sanctis tuis uiuamus in secula, Amen.

## COLLECTA.

¶ Respice, quæsumus te omnipotens sempiterne de-  
 us, super familiam hanc tuam oculis misericordiæ tuæ,  
 pro qua dominus noster IESVS CHRISTVS non dubita-  
 uit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormētum,  
 Amen.

## EVANGELIUM

IN DIE PARASCEVES,

*quod tamen nonnulli in uigilia Pa-**sche dicere soliti sunt,**Iohan. XIX.*

**P**ost hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab  
 Arimathia, eo quod esset discipulus Iesu, oc-  
 cultus autem propter metum Iudæorum, ut tol-  
 leret corpus IESV. Et permisit Pilatus. Venit  
 ergo & tulit corpus IESV. Venit autem &  
 Nicodemus, qui uenerat ad IESVM nocte pri-  
 mum, ferens mixturam myrrhæ & aloes qua-  
 si libras centum. Acceperunt autem corpus Ie-  
 su, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus,  
 sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco  
 ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumen-  
 tum nouum, in quo nondum quisquam positus

Matth. 27  
 Marci. 15  
 Lucæ. 23

Matth. 27  
 Mar. 15  
 Lucæ. 23